BERNARDINI BALDINI

LVSVS AD M. ANTONIVM BALDINVM FRATRIS FILIVM.

Permissu Superiorum.



MEDIOLANI,

Ex Typographia Pacifici Pontij.

M. D. LXXXVI.





IACOBI CRITONII
SVPERSTITIS CARMEN
Ad Bernardinum Baldinum.

VT legit ex varijs flores apis attica campis,
Nectaris vt mira farcit & arte fauos,
Sic Baldine tuo pangis monimenta cothurno,
Quæ nobis affers diuite metra penu.
Quæ merito poßunt animi mel dicier, atque
Fortè etiam melius nectar, & ambrosia.
Dulcia ſunt magè viſa mihi tua carmina magnis
Digna viris, omni nectare, & ambroſia.
Et quia Critoni claro mihi ſanguine iuncti
Funera acerba doles, carior ipſe mihi es.
Fortunate ſenex ſuperans iuueneſq. ſeneſq.
Rhetoras, atque Sophos, quos tulit hæcce plaga.
Et cum doctrinam præclaris verſibus ornes,
A quibus ampla tibi laus venit, atque decus,
Iure tuam Muſis alijs ego præfero Muſam;
Quæ decima est Muſas inter habenda nouem.



Ad eundem

CAESARIS MILLEFANTII
CARMEN.

HAEC plaga nostra tuo tantum Baldine nepoti,
Quantum carminibus debet amice tuis.
Nam fecit tuus iste nepos, ut nomina viuant
Inclyta multorum versibus usq; tuis.
Quid iuuat Insubrum laudes celebrasse latinis
Versibus, has posthac si teget arca breuis?
Cur tot non pateris magnas volitare per urbes
Europæ, cecinit quos tua Musa, viros?
Ne vereare, viges: Tibi nec continget, olori
Quod niueo; Cycnus fata canit moriens.
Pulla tibi ducent in longum fila sorores;
Annos tu multos, multaq. lustra canes.



IO. FRANCISCVS
IMPERATORIVS MEDICVS
M. Antonio Baldino amitino
S. P. D.


VM Ticini vacarem à ſtudiis liberalium artium, & medicinæ, profectus ſum Mediolanum, ad viſendum Bernardinũ Baldinum; quo auunculo non mediocriter lætor; cumq. apud eum eſſem, in ſcriniis eius librum hunc carminum non ſine voluptate, & lætitia vidi. Percuntatusq. hominem ſum, editurus ne librum eſſet; minime reſpondit; quid ita in quam? quia mihi (inquit) ſexaginta annos nato neque opus eſt, neque congruit dare operam ſuauioribus Muſis. Sed rude (quod aiunt) donandus ſum. Tunc ego, eſto in poſterum ne inuigiles carminibus; iſta verò elucubrata à te proferre in lucem cur dubitas? tum ille, vt qui nihil magnifice de ſe loqui ſolitus eſt, non ſatis, inquit, culta ſunt, et expolita. Limatiora verò per ætatem facere non poſſum. Neque enim ita ſeneſcenti, ſicut iuueni fauent Muſæ. Quo fit, vt & minus rectè canere carmina ſciam, & ſiqua paucis ante diebus cecini, polire, & purgare non ſatis queam. Flagitanti deinde mihi, vt nobis per ipſum liceret ea ſubiicere iudi-

cio

cio eruditiorum virorum, eorumque rogare ſententiam, ſe aliquantiſper difficilem, ac pene inexorabilem præſtitit: tandem ſiuit vt id ab ipſo impetrarem. Peritiores viri tantum abeſt vt improbarint haſce lucubrationes; vt etiam me admonuerint, cohortatiq. ſint; vt eas quamprimum euulgarem, editioniſq. honore minime defraudarem. Ex quibus dictis, quantum coniectura conſequi poſſum, haud difficile perſpexi neque incultum, neque impolitum hoc volumen exiturum; ſecus atque author modeſtè, & verecundè dixerat. Præter cæteros Ioannes frater, qui cauſidicus non indoctus Mediolani non paucis patrocinatur, ad properandum editionem libri (eſt enim cupidus ſuę, & ſuorum laudis) me ſatis animatum, incitatumq. acrioribus ſtimulis incitauit. Quem ſanè librum, vt author tibi cupidè conſecrauit M. Antoni, ita ego non minori ſtudio conſecrare conſtitui. Nam in te amando nemini concedo: mirificè enim delector acumine, & ſuauitate ingenii tui. Quem quidem librum vt ab homine tui amantiſsimo, atque honoris tui in primis cupido traditum beneuolè acccipias quæſo. Vale.

DE

De Verbano, & Insubride.


ERBANVS nympha genitus Ticinide, nympham
Cæruleus genuit Ticinida; nomine pulchram
Nulla non auiam quæ tempestate referret
Pulchrior: insano flagrans Insubridis igne
Verbanus, natæ dat munera mille cupitæ
Quæ Dryadi ferat; optatam latura salutem
Cum victu populis Insubribus. æqua facessit
Filia perpetuo cursu præcepta parentis.
Nam fluuio festina suo deducit onustas
Nocte, dieq. rates coelesti munere Bacchi,
Et syluis Vestæ victuros pascere natis,
Vulcaniq. focos; artisq. fabrilis in vsum
Cæsis in Græi prærupto vertice montis;
Marmoris & tecti cumulis, cum calce tenaci,
Quæ vincit candore niues, & moenibus apta
Est magnis, celsæq. arci, domibusq. superbis,
Delubrisq; sacris; æuo quas stare perenni
Optamus moles: ac nymphæ diues amator
Corpora magna bouum, quæ durus arator aratro
Adiungat, vitulos & edules mittit, & hædos;
Omnigenumq. genus pecoris, genus atq; ferarum
Non simplex, facilesq. loqui, gratosq. sonare
Concentus volucres, varios aut edere pennis
Præpetibus casus, aut farier ore futuros,
Accipitresq., aquilasq. Ioui, tibi Iuno dicatos
Pauones, & cortis aues, atque omne palato

Alituum genus acceptum.
Ac iussu Verbane tuo pinguisq., recensq.
Caseus insubrum premitur gratissima mensis
Merx; fortisq. graueis stomachi subuertere morsus.
Quid dicam varios formis, & mole natantes,
Quos parit innumeros pisces lacus æquoris instar?
Longa quibus pater insubrum ieiunia soluit:
Pectine qui patulo melius, squillaq. minuta,
Et rhombo, atque scaro sapiunt, alijsq. marinis
Neptuni gregibus; quos gustus auetq., probatq.;
Atque alijs Nympham cumulare frequentibus heros
Haud cessat rebus, quas terra dat, incolaq. eius.
Inq. vicem memor ampla suo largitur amanti
Munera Nympha, parit quæ tellus hordea, farra;
Et milij segetem, flauæq. siliginis, atq.
Triticeas messes dulcem mortalibus escam.
Et quas artificum tribuit mens dædala merces
Linea texta, togas tenueis, craßasq. coloris,
Staminis & varij, cum fictilibus, crepidisq.,
Et soleis: quibus & vasorum mille figuræ
Accedunt; inopisq. domus, amplæq. supellex
Multijugis: necnon quas nilus, seres, & indi,
Lydus, arabs, tanais, tagus aurifer, & nouus orbis
Fundit opes, domino Nymphe, quibus affluit, affert.
Vt locuples Driadis Verbanus munere, diues
Hæc donis Verbane tuis eat. vtraque proles
Hac ope diuorum nutritur, alitq. vicissim.
Seq. pari sociæ vice firmant, atque tuentur.

Pro-

Progenies numerosa Dei, numerosaq. diuæ
Vtraque diuinæ ceu stirpis origine creta
Quas celeri non mente tuetur, fingit & artes?
Quod docta variare manu, fictumq. polire
Nescit opus? solers radio percurrere telas,
Et pelusiacis milesia vellera lanis
Insertare sciens tyrios incocta colores;
Docta nouas picturatis inducere formas
Aulæis, & Praxitelis, Myos, atque Myronis,
Phidiacasq; sequi, & diuini Mentoris artes,
Magnificasq. domos, atque edita Mausolea,
Notaq. pyramidum miracula, pegmaq. celsum
Extruere; & sicut Typhis freta currere salsa,
Ac velut Automedon currus agitare sonantes.
Et quæ pingat acu præciosas fœmina vestes,
Eluat & maculas, & purget carbasa lymphis,
Et quæ matronæ fungi vice nouerit vxor,
Quæq. nurus partes iuuenis susceperit aptè,
Et cui cura probè commissa domestica matri,
Casta cisalpinis non rara videtur in oris.
Nec gens vlla magis putres proscindere glebas,
Annuaq. vberibus didicit dare semina campis:
Ecquis enim nostris solertius arua colonis
Sollicitat? maior cui cura bouumq., gregisq.?
Denique quæ cultus hominum, quæ postulat usus,
Curantes rectè multos parit angulus iste,
Vtraque rhetoribus plaga, nobilibusq. poetis
Floruit antiquis, florescit & hisce diebus.

Ad ripas Verbane tuas vir acumine magno
Præditus ingenij, Tulli sermonis & hæres
Poggianus puer est ortus; quem maxima Roma
Digna uiro sedes, iuuenem nutriuit, & æui
Maturum; quo præcipuè se iactat alumno,
Clarior illius scriptis, cui luminis addi
Posse nihil visum est, eiusq. ornata sepulchro.
Me genuit Poggiane tuæ contermina ripa;
Hospite quo felix videor, lætusq. propinquo,
Cæcilium prisco cui comica Musa poëtæ
Affuit, Olani tulit vrbs clarissima Medi.
Romana, tuscaq; libros Ranerius author
Lingua conscripsit; viuetq. superstite fama
Ipse sibi, patriæq.; licet se sponte necarit.
Carmine Vida tuo, & te vate Cremona superbit.
In sua traduxit Musas Goselinus hetruscas
Rura; suis Corius memores annalibus amplæ
Vrbis, nobiliumq. virorum prodidit actus.
Iunior, & senior geminato lumine Comum
Plinius insignit, lustrat quo litora Lari.
Tertius accessit Iouius noua gloria Como.
Quamq. modis Tonsus lyricis illuminat oram,
Hanc Maioraggius decorat sermone latino,
Nec nihil huic Merulæ laudis tribuisse feruntur.
Consulti quoque tres ternæ sunt lampades vrbis,
Alciatus prosaq. graui, numerisq. probatus,
Et celebris Decius, iurisq. antistes Iason;
Iulius hos inter cognomine Clarus honorem

Non contemnendum populis illustribus addit:
Ripaq. Ticini lux altera, Menochiusq.
Altera luce sua deuelant abdita legum.
Nec suus altrici uirtutum defuit vrbi
Partus, Aristotelis qui sensa latentia uerbis,
Aut scriptis aperire fidelibus vnus & alter
Sciuerit; & lectos iuuenes ditarit abundè
Moribus, & disciplinis; interprete lingua
Vsus Branda, suos, Vicomercatus vtraque
Præceptis ratione suos multiscius auxit.
Et noti duo pæonia uirtute Mathæi,
Alter qui Gradius fertur, Syluaticus alter,
Quod genus illustrant, seruarunt ante medelis.
Atque machaonia spectabilis ante Mathæus
Tertius, & vero cognomine Curtius vrbem
Ticini matrem viuus post funera lustrat.
Tres ope non medica medici, sed viribus omnes
Præstantes animi, Boldonius alter Apollo,
Cardanusq. sagax, scitusq. Camutius æuum
Degent omne, nihil metuentes fila sororum.
Quid referam quàm sint præsentia numina PANI-
GAROLAE? potis ut dias sit discere leges,
Cœlestisq. arcana Dei, populosq. docere.
Huic prope par diuum secreta Locarnius ore
Rettulit inculto, sed mirus acumine mentis.
Sit satis hæc nobis exempla dedisse, probetur
Diua quibus soboles Insubridis, & Verbani.
Nec cunctos meminisse libet, quibus utilis ortum,

Atque cibos humus hæc tribuit; sic nanque necesse
Inuito mihi grande foret vigilare volumen:
Cui minime vigeo par. centum quæque facultas
Artifices habuit, cantari voce, tubaq.
Dignos; in primis regio tot martia Martes
Militiæ peperit, quot nec genuisse Gradiuus
Fertur, nec multi dignè cantare Marones
Sufficiant. satis est nobis tetigisse uetustos
Verbaniq. patris, Nymphæq. Insubridis ignes,
Mutua dona, duplex genus, & præconia gentis.

BERNARDINI BALDINI
Lusus. Ecloga.

AVDITA iuuenes Sileni voce, iacentem
Quem nodis vinxere senem Mnasylus, & Aegle
Discessere nouo nexu tamen ante ligati;
Nanque cupido puer puerum geminare puellæ
Dum parat, occulto comites religauit amore;
Contactos facibus, fixos & corda sagittis.
Hinc oculis Mnasyle tuis tibi carior Aegle;
Hinc Aegle tibi te Mnasylus carior ipsa.
Vnam Mnasylus uotis petit omnibus Aeglen;
Te solum Mnasyle cupit, suspirat & Aegle.
Nec mora solliciti curam testantur amantes
Nutibus, atque oculis; quis enim cælauerit ignem?
Mnasylusq. prior dictis est fassus amorem;
Hinc Nymphe confessa suum: rubor ora decenter

(Vt tacitus decuit pudor ambos) tinxit amantum.
Cum loca soliuagi iuuenes secreta petissent,
Syluaq. sola foret tantorum testis amorum,
Haud ualuit differre puer sua gaudia; caræ
Colla sed amplexus, labris dedit oscula nymphæ:
Non obeunt hederæ, capiuntq. tenacius ulmos,
Quàm puer implicuit sponsam complexibus arctis;
Basia non molles confundunt plura columbi,
Quàm læti iuuenes: ecquid felicius illis?
Heu breue lætitiæ spatium diuturnus amaror
Consequitur; flagrans Syluanus amore fugacis
Naiados, est illam furtim comitatus; agresti
Inuidus vt nexam pastori repperit, ira
Feruidus, hanc grauibus dictis tremefecit; at illum
Arreptum tenero complexu vellit amatæ.
Hunc cæsum uindex oculis spectantibus Aegles,
Perdere certus erat; casuq. insontis ephebi
Vlcisci, gemitusq. suos, animasq. paratus
Excruciare duas, auidamq. explere nocendi
Mentem. Quid facerent imbelles uirgo, puerq.?
Nec pugnare Deo poterant iraq. feroci,
Et rabie; precibus sæuum lenire puella
Confidens, tales roseo dedit ore querelas.
Quid puerum Syluane ferox extinguere plagis
Immeritum tendis? quid enim peccauit? iniquo
Cur tantum tibi pœnarum persoluit? Amoris,
Non pueri crimen, siquid commisit amando
Criminis, est: si fortè scelus graue credis amare,

Hoc plerique scelus patrant hominesq., Deiq.:
Iuppiter in primis. nam quis petulantior illo?
Hæc quoque culpa tua est, qui quam petit iste puellam,
Ardes, iccirco dignus cruciatibus istis
Es Syluane; quibus puerum crudeliter angis.
Hæccine digna Deo reputas immania facta?
Nec nos argueris, quia te mens nostra recuset,
Hunc amet; in causa est mentes quod diuidit, atque
Concordes deuincit ineluctabile fatum.
Neglecto Cytherea Deo Dea coniuge, fato
Dardanium Anchisen, & te dilexit Adoni:
Prætulit & Cephali vultus Aurora marito
Diua seni. His animum dictis incendit agrestis
Numinis, intonuitq; statim Deus ore frementi.
Quo sonitu uiridis tremuere cacumina syluæ.
Ad strepitum hunc Dryades uolitarunt præpete cursu.
Conspectis rapidus Nymphis aufugit, & Aeglen,
Seminecemq. Deus Mnasylum liquit, & artus,
Oraq. contusum pugnis, calidoq. cruore
Corpora conspersum. Nais quem pulchra iacentem
Accessit propius festina, leuaret ut ægrum.
Clamantem Mnasyle, puer flens spectat ocellis.
Conantisq. loqui pallenti spiritus ore
Excidit; & uitam secum fert puberis; illo
Extincto, querulis uirgo clamoribus implet
Aëra; seq. mali causam, cædisq. nefandæ
Clamitat, incusatq. suum & finire dolorem
Morte cupit; quod diua potest, heu languida crines

Aureolos

Aureolos lacerat, uultus et percutit ulnis
Ipsa suos; quibus illectum confecit amantem.
At Dryades Nympham miseratæ Naiada, dictis
Aegram solantur; prohibent & membra ferire,
Inq. sacras sæuire comas: diuæq. licere
Diuinos violare negant muliebriter artus.
At Chromis amissum comitem dum quærit, in alto
Audijt insolitos questus, & murmura luco;
Pertimuitq. puer suspensus nequa pericla
Mnasylus socio coetu diuisus adisset:
Ac celeri cursu nemus in uocale profectus,
Examinem socium rorantem sanguine multo,
Cultricesq. Deas nemorum deprendit, & Aeglen
Hunc circumfusas; corpusq. exangue sepulchro
Virgineis oculis defletum condere dignè
Accinctas. tales lachrymans tunc ore loquelas
Edidit; hisq. sonis surdum est affatus amicum;
Cur sine me miserande puer deserta subisti
Lustra? Chromis Mnasyle comes tibi forte tulisset
Auxilium; aut tecum crudeli funere pressus,
A manibusq. pijs monimento clausus eodem,
Isset sub terras, tecum mansurus in omne
Tempus, uti tecum primis conuixit in annis.
Plura loqui dolor hunc vetuit, pietasq. Dearum.
Imposuere Deæ tumulo lachrymabile corpus;
Supremumq. vale lugubri uoce sonarunt.

ECLOGA.

ECLOGA.

FORMOSAM Daphnen iuuenes Chromis, & Meliboeus
Ardebant, forma, pulchris & moribus ambo
Ornati, Chromis & proauos, genus atque paternum,
Maternumq. genus iactabat, ditior alter,
Inq. suo celebris pago ceu mercurialis,
Officioq. uiros, opibusq. iuuare paratus.
Virginis affines sponsam Meliboee dicarunt
Hanc tibi, quòd diues pecoris, quòd frugis abundans;
Gratior at Daphne Chromis est, quia iunior; ergo
Tradidit huic se Nympha uolens, despondit & ultro;
Et fore consortem thalami, uincloq. iugali
Iuncturam iuueni se uoce, notisq. locuta est.
Præstituere diem sacris sponsalibus aptum
Sponsores cupidi Daphnen Meliboee locare,
Atque iugare tibi; propere lux dicta maritis
Tedis aduenit; picta cum ueste decorus,
Cum lætis, & lætus ades, comptusq. propinquis,
Stipatus iuuenum coetu: uicinia tota
Continuò Daphnes notissima tecta frequentat.
Omnia lætitiæ sunt plena; domusq. renidet.
Quosq. foci, diuesq. penus, mensæq. paratus
Poscunt, ubertim recipit Daphneia sedes.
Iam citharœdus adest, choreis & idonea pubes;
Magnaq. testatur Meliboeus gaudia uultu.
At non exhilarat mentem, uultusq. serenat
Infelix Daphne; queritur sed mœsta, profusis

Strata

Strata rigans lachrymis; etenim pluit anxia largis
Roribus vndantes riuos. sic denique fatur.
Ergo meus vir erit Meliboeus? labra labellis
Nec Chromi mellitis tanges mea? nuda cupito
Colla nec impedies amplexu? pactaq. dicar
Frustra Nympha tibi? coniunctaq. dextera dextræ
Nequicquam? & rumpet Dea non violabile foedus?
Nec placitam Daphnen ducet Chromis, atque volentem?
Ducet at inuitam Meliboeus? & irrita uota
Efficiet mea perpetuò grauis Illythia,
Non nuptæ Lucina mihi, sed nubila Iuno?
Hæc Chromi fama tuas nondum peruenit ad aures?
Hos solus nescis strepitus, quos pagus, & omnes
Finitimi norunt? huc vndique læta iuuentus
Accurrit; tu solus abes, qui primus adesse
Debueras sponsus sponsæ mihi debitus; idem
Præ cunctis Daphnæ cupienti puber amatus.
Cui (scio) respondes curis dilectus amanti.
Heu vereor nequo languore, maloq. labores;
Haud etenim paterere tuo me liber inultam
Nubere riuali: tota quam mente petisti.
Vix ea desierat, cœpit cùm murmure magno,
Et fremitu resonare domus; mox clamor ad auras
Tollitur; armorumq. sono circumfluus aer
Consonat. armatus Chromis ad tua limina Daphne
Agmine collecto iuuenum comitatus agresti
Ocyus accessit, coeptos properans hymenæos
Rumpere. teq. sibi sociali foedere iunctam

 Demere

Demere cognatisq. tuis, ſocioq. recepto:
Ilicet irrumpunt aditus, inimicaq. caſtra
Protinus inuadunt telis; meliboeia pubes
His aduerſa, graues primorum ſuſtinet ictus:
Sed ſuperata breui cedit victricibus armis.
Audito ſonitu raptim Meliboeus inermis
Effugit; quo digreſſo furor impius hoſtis
Concidit; hoſtilisq. cohors pacata repente eſt.
Vt ſtrepitus Chromi Nympha tuos timida audijt, ore
Pallidulo per ſacra Deæ Iunonis, vt ædes
Abſiſtas maculare nefanda cœde precatur
Te, ſponſamq. tibi non denegat eſſe, tuamq.
Se fore promittit: tum corda ferocia ponis:
Atque tuo iuſſu ſubitò ceſſatur ab acri
Pugna; conduntur gladij; paxq. orta maritis:
Nam Clytie Meliboee venuſtula virgo locata
Non inuita tibi eſt; votis quem Nympha petiuit.
Connubio Chromi iuncta tibi pulcherrima Daphne.
Tum Mopſus cythara non iuſſus dulce ſonare
Cœpit; & in riſum gemitusq., leuesq. ſuſurros
Conuertit, feſtiua ſciens qui carmina neruis
Miſcuit argutis mira dulcedine, & arte.
Poſtquam leniuit moerentia, & aſpera vulgi
Pectora, vaticino venturi præſcius ore
Hæc turbæ cecinit ſuſpenſæ ſeria vates.
Anteuenit perſæpe grauis noua gaudia luctus;
Quò ſint læta magis depulſo corda dolore:
Gratius & puri niteant poſt nubila ſoles.

Iuppiter

Iuppiter has lites tranquilla pace rependet.
Viuite felices longæui Nestoris annos
Sponsi; præclaram sobolem, pulchramq. daturi:
Quæ similes atauis, & auis genitura nepotes:
Progeniem aucturos veterem, laudesq. parentum.
Quorum fama plagas abitura superstes in omnes
Extendet generis uetus indelebile lumen
Luce sua: sortitur enim sic fata Deum rex.
Hic finis fuit accentus, volucrisq. diei.

ECLOGA.

Lycidas, & Mopsus.

Lyc. PALLENTEM, *nebulaq. senem te Mopse viriles*
Obductum vultus, tenui nec carmen auena
Ludentem video; mentis quæ signa putantur
Infirmæ; curas (memini) securus amico
Hactenus es fido suetus mihi credere; quæso
Qui tristem te languor habet, quæ cura quietum
Sollicitat, narra cupido mihi; forsitan ægræ
Præbebit mea sedulitas solatia menti:
Aut pietas moesto minuet tibi nostra laborem.
Mop. *O Lycida tectum vulnus ne quære doceri;*
Quod nostris altè venis insedit: id æger
Haud fortis sine mœstitia, luctuq. referre
Sum; subigorq. grauem fando renouare dolorem;

Nec morbos opis humanæ curare nocentes
Eſt, quorum nocuis ſemen delabitur aſtris.
Lyc. Aethereis demiſſa plagis fert noxia peſtis
Publica damna; genus tamen haud hominumq. gregisq.
Omne lues carpit, quosq. inficit, haud necat omneis
Mortales; ope ſed medica non parua ſuperſtes
Turba viget. noſtram ſpero tibi profore curam.
Aut moerens aliqua gemitus te parte leuabo.
Quin etiam ſocio iuuat enarraſſe fideli
Læti ſi quid habes, ſiquid te mordet amari.
Mop. Affectus, quos noſce mei, fluctusq. laboras
Pectoris, expediam paucis; nam multa profari
Nos lachrymæ prohibent, fugientis & hora diei,
Me mea ſolicitum cruciant, alienaq. damna;
Ah quotus eſt ouibus paſtor priuatus, & ære;
Ah quotus eſt caſula, dulciq. extruſus agello;
Quam multi grauibus ſua non commiſſa luerunt
Pœnis? ante diem quam multi mortis acerba
Perpeſſi? miſeranda pecus, pecorisq. magiſtros
Funeſtat clades; quibus eſt laudabile carmen
Cultis, dedecori, probitas quibus afficit æquis.
Lyc. Hæc eadem mecum reputans, cùm nuper Amyntæ
Ad me lugubris mors eſt delata, querebar.
Tunc quid ſupplicij dederit Meliboeus iniquis
Hoſtibus, in mentem venit; ſpoliatus ut agris,
Finibus à patrijs, & ſedibus exul auitis
Ceſſerit, & tua quæ fuerint diſpendia Daphni;
Muſarum decus ò Daphni, & tua digna reuoluens

Cœpta, genas lachrymis perfusus, & ora rigaui.
Quot capras, quot Thyrsis oues amisit, ahena
Compede uinctus inops, quoniam sua posceret æra?
Compluresq. alij vel Phoebo digna locuti,
Et quibus in precio iustis fuit inclyta virtus,
Præda lupis, canibus ludibria, fabula coruis
Sunt facti; nec honorificus fuit exitus ollis.

Mop. Hæc quoties nobis occurrunt (sæpius autem
Occurrunt) vacuæ discedunt gaudia mentis:
Atque his succedit vehemens, & noxius angor.
Huic etiam accedunt uires, & pabula Milui
Culpa, cui fortuna fauet uesana proteruo;
Et diro scelerum capiti, quia perdit ephebos
Flagitijs, scabie pecudes, & semine campos
Inuisæ filicis spargit; nigroq. veneno
Omnia corrumpit, iuuenum pus, pestis & agri.

Lyc. Audacis quibus est Milui non nota colonis,
Lanigeriq. gregis custodibus improba vita?
Vt mirer capitis uitaße pericula foedum
Tot vitijs hominem, tot crimina turpiter ausum.
Nunquam non comites illi sunt Coruius exlex,
Impius & Canius, fallax & Vulpius; horum
Quis nescit studia, & mores, immaniaq. orsa?

Mop. Caris Mnasylusq., Chromisq. parentibus orbi
Auxilijs, opibusq. meis, multoq. labore
Sunt nostro adiuti; nouies dum signa cucurrit
Sol: quibus insidias instruxit sæpe Lupanus;
Funere cui merso succeßit Miluius hæres.

Ignoratur

Ignoratur vter ſit eorum viſus in oris
Deterior noſtris; operati nequiter ambo
Haud dubiè ſunt; teſtis uti uicinia noſtra eſt.
Hi, comiteſq. feri, pueris quia profuit aura
Noſtra ſuperſtibus, plagaſq., necemq. minati
Sunt mihi; ſed præſens hoſtiles reppulit ictus,
Me tutelaris genitor tutatus, & unà
Mecum pupillos. ideo perſoluere grates
Huic nunquam ceſſabo mea pro parte virili.

Lyc. Votis ergo tuis reſpondit Iuppiter æquus,
Cur non ergo hilaras mentem, vultumq. ſerenas?
Dasq. nouos verſus, & Apollinis auribus aptos?

Mop. Seruanti pueros dextro mihi numine diui
Adſunt; læua meis ſed ouilibus officit, hædos
Subducens fortuna mihi, & cum matribus agnos:
Quæ ſteriles foecundat agros, & equilia Milui
Implet; ob id doleo. neque enim non queſtibus auras
Verberet illachrymans, cui ſors inimica probato,
Et iuſto, precibus ſit ſurda, perutilis hoſti.
Et coruis faueat, placidis aduerſa columbis.
Sed me plura loqui prohibet gemituſq., dolorq.:
Heſperus & rediens nos paſcua linquere cogit.

ECLOGA.

Corydon, & Meliboeus.

Cor. HAEC loca non cuſtos gregis ante frequentior ullus
Te petijt; meliusq. modis aptauit auenas;

Deti-

Detinuitq. magis purgatas versibus aures.
Nunc vmbras nemorum vitas, & amoena uireta,
Atque coronatos fontes humentibus herbis.
Nec flauam Danaen resonant arbusta, querelis
Pulsa tuis; sed senta rubis, desertaq. lustra
Solus adis Meliboee tui, vitæq. prioris
Oblitus, quærens & deuia, te fugis ipsum.

Mel. Turpe senem vietum iuueniles ludere ludos.
Istic nobilium florens academia vatum
Visa fuit, cuius quota pars Meliboeus agresti
Musa sæpe suos macer est solatus amores.
Nec nunquam curis animum, luctuq. leuauit.
Qui tanta viridis syluæ dulcedine captus
Est lætiq. chori, grauis ut, maturus, & æuo
Gratæ pubis adhuc celebri se condere circo
Quærat, & argutos imitari uoce poëtas.

Cor. Hæc eadem sunt visa mihi, summeq. probata;
Nam quis non istas annoso in corpore uires
Miretur? cano capiti, curuæq. senectæ
Quis vegetos tribuat sensus, & mentis acumen,
Et facilem uenam, numerosq., cycniq. canorem?
Rugosa, tremulaq. manu si plectra mouentem
Pinxeris humanam effigiem, derisus abibis.
Quòd venerande senex recinas noua carmina, mirum
Accidit haud dubiè nobis, magis hercule mirum
Est, vocale, melosq. ferens siluisse repente
Os Meliboee tuum: viduataq. prata magistro
Ilicet esse suo; studijs & deesse choragum.

Quam

Mel. *Quàm variet fortuna vices, quis nescit? in alto*
Nunc Zephyri fremit aura leuis, nunc murmurat Eurus,
Nunc furit immensus Boreas, nunc humidus Auster.
Nil etiam humanis in rebus dædala fixum
Producit natura; alacer qui riserit idem
Mox tristis gemit; ægrotat modò sanus; in horas
Omnia mutantur, Mortis, Parcæq. subacta
Imperio: mirum ne senex si vestra Camoenæ
Linquens castra, fugax se dura in tesqua releget?
Adde quòd antiquo nobis occasio ritu,
Colloquijsq. interdicit, grataq. cohorte.
Cor. *Cætera iam mitto scitarier; obsecro, narra*
Quæ noua vis carum hospitibus te cogit abesse
A' Musis, sociaq. tribu, syluaq. virenti.
Mel. *Cultæ secla loci nil linquunt nostra poësi:*
Fabellas adimunt cui texere, fictaq. rerum.
At quanti vates, queis fingere posse negatum est,
Sunt? demum quibus est imitandi dempta potestas
Quidlibet, haud istis lectos datur edere versus.
Historicis quæ facta loqui, simulare poëtis.
Lege nouos orsus Dij præcepere poësis.
Plurimus & pagos obstipus vexat, & vrbem;
Hac hominum sanie non vlla nocentior vsquam
Nascitur. hæc fugit mulctralia, macerat agnos,
Et lolium latè disseminat, urit & agros;
Et serpens (ceu cancer) edit, quos corripit, artus.
Acrius vt nullis mortalibus ira minetur
Christi, quàm caput in latus acclinatis.

Nos

Nos igitur non sola fugat delira senectus,
Verumetiam fuga Thespiadum, neglectaq. virtus,
Et pellax schola, fucosos mentita colores.
Præstat enim nullo comitante per auia mecum
Ire mihi; curtas vbi tutò ducere possim
Relliquias vitæ, quam rura molesta Camœnis,
Furtiuis & amica dolis habitare, laresq.
Non sine mœstitia, vulgiq. timore tyranni.
Cor. *Esto, furcillis Musæ eijciantur ab ora*
Hesperia, solioq; sedens sublimis in aureo
Aurea sceptra gerat pellacia, sintq. bilingues
Mille, tamen vesci poteras vitalibus auris
Hic, vbi periuros inter, prauosq. Sinones
Tityrus, & Damon, & Moeris, & Alphesiboeus
Versantur fidi comites, Phoeboq. probati.
Mel. *At mala suspicio delusæ plebis, & error*
Disiunctos paruo tractu vetat hosce coire.
Talibus aucupijs hominum spectator, & astu
Heu nimis indoleo; patiar ne talia, creui
Dehinc inter dumos, & inhospita degere saxa.

Elegeia.

AD PHILIPPVM AVSTRIADEM Augustum Hispaniarum Regem.

DVCTOR, *spesq. tuæ cecidit rex inclyte gentis:*
Et tegitur columen relligionis humo:

Natus hic vt rigidosq; Getas, Batauosq. feroces
 Vinceret, & domitos sub iuga nostra daret.
Heu quanta infidæ creuit fiducia pubi;
 Spe quanta pietas decidit, atque fides.
Actia, qua celebri non dignior vlla triumpho,
 Pugna probat vires, consiliumq. ducis:
Etsi Leucadijs Augustus Cæsar in vndis
 Contudit hostilem vim, dominamq. Phari,
Etsi Pharsalicis in agris, quæ laurea Iuli
 Parta tibi, effertur laudibus eximijs,
Victrici cedit lauro tamen; actia forti
 Quam tulit Austriadæ pugna, ducumq. duci.
Eoas acies huc duxit luna bicornis;
 Occiduam huc classem regia duxit auis.
Insita vis iuueni quid possit, & æmula virtus,
 Virtutis patriæ fortia facta docent;
Cognita cantabricæ, nabathææ cognita genti,
 Et lybiæ, & trucibus cognita hyperboreis.
Mors fera pubentem terris inuidit; & eheu
 Orbauit tanto regia castra duce:
Abstulit & carum tibi regum maxime fratrem;
 Abstulit hunc populis, pontificiq. sacro.
Si fortes prima sparsus lanugine vicit,
 Strenuus & gessit bella canenda pugil,
Si prudens habitus ductor iuuenilibus annis,
 Talia si miles puberis acta sonat,
Quales ingenij laudes, quæ robora Iano
 Debita, si vixet lustra futura, putes?

Nequa viri ſuperet virtus heroica facta,
Heu iuueni ſecuit ſtamina pulla manus.

ELEGEIA.

O PRAVOS *hominum mores, ò ferrea ſecla,*
O ſcelus, ò infandum nomen auaritiæ;
Nimirum populos ſi bellum, diraq. peſtis
Perdit, macreſcens ſi ſterileſcit ager;
Feruet enim, gliſcitq. ſupremi numinis ira,
Ob noxas hominum, ſacrilegumq. genus.
Pupillos, viduasq. bonis qui pauperat, æquus,
Siquis opem miſeris fert; periniquus homo eſt,
Id conſultus ait, ſitiensq. tabellio nummos;
Immani iſta ſeni dicta nefanda placent:
Pupillos nocuus qui tutor, auuſq. nepotes
Quòd non expilat, roditur, atque furit.
Plurima deprenſos nemoroſis mactat in antris
Turba viatores; priuat & ære vagos.
Sacra legunt alij diuum, gentesq. nefaſtæ
Haud ceſſant auidas conſcelerare manus.
Flagitijs hominum ſi pœnas irroget æquas
Iuppiter, errantes nec miſereſcat eos,
Diſpereat genus humanum; ne iure nocentes
Sternas diue pater, ſed pietate leues.

ELEGEIA.

QVID *gemitu, lachrymiſq. mades? quid queſtubus vrges*
Inſanus dominæ ſurda ſepulchra tuæ?

Quidue vocas diuos immanes, duraq. fata?
Curq. tuus clamat nomina vana dolor?
Si, quod mœrenti permisit Iuppiter Orpheo,
Hanc cantu sineret te reuocare tuo,
Fons tibi quærendus querulo foret Hippocrene;
Vt blandos scires ore sonare modos;
Immites quibus addiscant mansuescere manes;
Et rata perficiant vota, precesq. tuas:
Hoc est inducant animum tibi reddere fletos
Vultus, & flauens, auricomumq. caput;
At tibi nec placidis Orphei concentibus aures
Emollire feras, aspraq́; corda licet;
Nec si threycijs scires deflere querelis,
Esset sublatam fas reuocare tibi.
Nam post Euridices priscæ reuocamina, lege
Est vetitum nequam fata redire sinant.
Ergo fige modum sæuo male sane dolori;
Et perijsse puta, quod reparare nequis.
Ne dum deploras quam fata tulere, puteris
Stultus, & in sanctos impius esse Deos.

ELEGIDION IN OBITV CAROLI Borromæi Cardinalis.

QVI modulis deflent elegis tua Carole fata,
Iudicio potius flent sua fata meo.
Profuit exitium iusto tibi; mille sed vrbi,
Aut orbi potius damna sinistra tulit.

Mors

Mors tua perpetuæ lucis tibi causa beato,
Sed fuit infausto perniciosa gregi:
Inter mortales genitor dum ducere vitam,
Progenitum voluit te, patriæq; patrem,
Exulibus superas in sedes celsaq. diuum
Templa meare datum est, ore precante tuo.
Indigenæq. domos cœlestes scandere iussu,
Et monitis dociles edidicere tuis;
Denique dum campis ibas felicibus exul,
Exilio poteras nos reuocare graui:
Ac viuus siccis monstrabas pocula vitæ,
Explent quæ arentem tempus in omne sitim.
Extinctus nectar diuinum faucibus hauris;
Te tua sic iuuit mors nocitura tuis.

TETRASTICON.

EST tibi parta quies, hostis qui natus es oci;
Qui vitam egisti mortuus, vsque viges:
Carole mutasti mortem cum perpete vita;
Viuere quem piguit, sic periisse iuuat.

ELEGEIA.

AD THETIDEM PRO AVGVSTIS coniugibus Catharina Austria, & Carolo Emanuele nauigare paratis.

CONIVX ò Pelei, & pelidæ mater Achillis,
Quæ freta lata regis, Nereidumq. choros,

Regia sponsa comes comitisq., ducisq. mariti,
Per mare cæruleum nauibus ire parat:
Veliferas impelle rates felicibus auris;
Atque cauo firmas littore siste trabes;
Perfer & incolumes sponsos; hisq. integra redde
Credita quæ fidei sunt Dea iusta, tuæ.
Hæc etiam æquoreis à diuis ipsa petisses,
Cùm captus cepit te dominam Aeacides.
Vt saluus salua iuuenis clarissimus argo
Pharsaliam peteret, conspiceretq. suos;
Si non illæsam posses ope ducere pinum
Nerine propria, numinibusq. tuis.
Succurat tibi cura tuæq., viriq. salutis;
Sic magni facies connubiale iugum.
His heroibus, hisq. parentibus alter Achilles
Nascetur, vehemens terror & ipse phrygum;
Infidæ sectæ, piratisq. hostibus hostis,
Carus ob id Nereo, carior atque tibi.
Si clarum genus est cordi tibi, clarius imo
Nil his coniugibus Phœbus in orbe videt;
Si probitas, rectumq. iuuat te, rectius iisdem,
Et probius certè noueris esse nihil;
Si laudes, meritumq. probas, vtrunque probabis;
Sic aura facili dignus vterque tua est.

AD BATHOLOMAEVM FRATREM.

ACCITV, monitisq. tuis ego ducere tecum
Relliquias vitæ postmodo certus eram;

Linquere

Linquere iam pagos insubrum, vrbesq. parabam
Romula visurus templa, domumq. tuam;
Cùm nostras inopina retusas perculit aures,
Proh dolor, interitus nuncia fama tui.
Qua subitò stupui sensus deperditus omnes;
Atque meum cor inops sanguinis obriguit.
Ilicet ex animo quicquid fuit ante sereni,
Et læti eripuit mors homicida mihi.
Ex illo tenuit lethi me turba satelles
Singultus, lachrymæ, cura, querela, dolor.

ELEGEIA.

QVAE mihi sublato restant solatia fratre?
Quæ reliqua est ægro spesq., salusq. seni?
Nos fera mors pueros orbauit vtroque parente,
Cùm patruus nobis viueret vnus adhuc.
Hunc quoque cùm nondum teneras lanugine malas
Vestirem, rapuit falce tremenda manus.
Cui genitus superest insignis laudibus vnus,
Deliciæ fratris, deliciæq. meæ.
Vnanimes fuimus dum frater vixit, & æquè
Libera germanis mens fuit vna tribus;
Germano fratres, germanus fratribus amplè
Attulit optatam morigeratus opem.
Quinque superstitibus sexus maris, atque quaternis
Fœminei natis, occidit alter ego:
Qui cum multa mei pars exulat orbe; relicta
Mœsto parte mei deteriore mihi.

Hinc neque ſemianimis viuo, neque funera paſſus
Sum, dubiuſne ferar neuter, an alter agam.
Quin potius nihil hoc dempto ſum; frater vt ægrum
Deſtituit, deſum mortuus ipſe mihi.
Non ego viuo, mei ſed viuit imago; reuiſit
Tecum vnà, frater ſpiritus aſtra meus.
Poſt tua fata meum nihil hic mea poſſidet vmbra,
Præter mœſtitiam, funereosq. ſonos.

ELEGEIA.

DEBELLANTE *trucem Perſarum rege tyrannum,*
Mortales temnit qui ferus, atque deos,
Non angui toto ceßandum eſt cardine rerum,
Non aquilæ forti, non tibi fulue leo:
Dum licet hoſtilem ſtirpem radicibus imis
Vellite; & hanc dextro tollite Marte luem.
Quæ late ſerpens virus diſſeminat atrum,
Semineq. impuro ſemina pura necat.
Torua veneniferis colchorum venit ab oris
Hæc, vbi Medeæ regna fuere magæ.
Viroſis velut orta locis fert bellua ſecum
Virus, & externas inficit ore plagas.
Nec ſolùm perimit lethali membra veneno;
Verùm animis etiam pernicialis obeſt.
Nanque Dei compellit eos dediſcere cultum;
Maumetiq. iubet numen inane ſequi.
Semouet hæc triſtes animas felicibus aruis;
Datq. illas diris manibus inferias.

An dubitamus adhuc infelix perdere monstrum,
Quod prius occidit millia mille ducum?
Tot pugiles cæsos non ulciscemur inertes?
Cæsurumq. alios scimus, & hoc patimur?
Nunc ubi Romulidum est uirtus, inuicta duellis?
Sunt ubi tot Martes, totq. mares animi?
Scipiadæ, Fabijq. graues, alijq. Quirites
In fera quos egit prælia laudis amor,
Cum genere extincti? restant nunc nomina tantum;
Cumq. illis uirtus cessit, & omne decus.
Proh pudor, imbelles pharijq., phrygesq. triumphant
De uictrice aquila, martigenisq. uiris.
Roboris at latij uestigia siqua manerent,
Visque foret nostris prisca, suusque uigor;
Certatim irruerent in acerbum fortiter hostem,
Infandum certi desecuisse caput.
Vndique conuenit graiorum lecta iuuentus,
Sterneret ut, fixit quem Meleager, aprum;
Noxius hic etenim segetiq., satisq. ruebat;
Sæuus & armentis, lanigeroq. gregi.
Frugibus aduersam pecoriq., uirisq., deisq.
Cedere pigraris Martia turba feram?
Eia age mactetur propere sus auspice Christo;
Sic Martis leges, iuraq. sancta iubent.
Obscoenum humano turpat, qui sanguine uictum,
Et facit ex aris inuidiosus haras.
Huius cæde feræ mitescet numinis ira;
Hæcque cadet miti uictima grata Deo.

Ode monocolos.

AD DANESIVM PHILIODONVM
Iuriconsultum, ac Regi Philippo intimum.

QVOS virtus superis in gradibus locat
Moratos iuuenes, artibus & bonis
Auctos, atque senes ditat honoribus,
Et clarat titulis conspicuos nouis,
Illos semideis contulerim; graue
Illis imperium tradiderim libens.
An quisquam dubitet talibus à viris
Vrbes magnificas legitimè regi?
Quos solers animus, conscius & sibi
Recti, lexq. frequens, vsus & edocet
Quæ vitare probè, quæ deceat sequi.
Quales emeritos terra tulit duces,
Consultosq. patres, atque patres sophos.
Danesi meritò te quibus inserit
Expertus regimen, consilium & tuum
Prudens ordo patrum, nobilis & cohors
Insubrum, & soboles regia Cæsaris:
Quæ te pro meritis nobilitat tuis;
Quæ clauis operit regificè sagax
Pectus docte tuum; teq. ope regia
Tollit. tu populos dum placidè regis,
Virtus, cana fides, nudaq. veritas
Hac exul patria, pulsa nefarijs
Incesti generis flagitijs, domos

Accessit

Accessit patrias; & veteri plaga
Insistit: nihil & iustitiæ loci
Non est. sic superum rex tibi Iuppiter
Annos det Pylij viuere Nestoris;
Vt rursum vigeat secula plurima.
Hic ius, atque pium, te duce, & auspice.

Ad Ioannem Marcum Fannianum.

SVNT quibus facilis fauet Thalia,
Qui scribunt numeros venustiores;
Atque hi nec studijs vacant seueris,
Nec tristes ope subleuant egenos;
Ob res solliciti suas, leueisq;.
Qui sanè bona despicata regum,
Et gestantis habent Deæ trabales
Clauos, & cuneos manu tremenda.
Certè pigra cohors, & ociosa
Hæc est; sed tamen æqua, dijsq. grata.
Contrà plus nimio negotiosi
Huc, illucq. videntur ambulantes
Complures homines, siticulosi
Aeris, & ditionis inuidendæ
Apprime cupidi; quibus iocosæ
Sunt cordi nihilo magis sorores,
Quàm Gallo capitolium petenti
Anser nocte vigil fuit silente;
Quàm strigosa latronibus lycisca,
Quàm paruis rabiosulæ nouercæ

Priuignis , puerisq. vox magiſtri.
Siquid commodat aut ſuis auarus
Aut largitur amiculis , emaci
Dextra , plus cumulare foenerator
Sperat , diuitis haud ſatur monetæ .
Tu uerò modulos politiores
Tam doctè meditaris , & venuſtè ,
Quàm cycni veteres latinitate
Germana , atque graui ſtylo probati
Idem das operam fidelis urbi ;
Vtq. pauperibus cibos proſeucha
In ſacra locuples domus miniſtret
Curas : & viduis faues ; & idem
Pupillos tegis , & iuuas puſillos :
Ac de flebilibus reis laboras .
Eſt duplex tibi Fanniane vita
Felix , vna quidem probatioris
Mentis , altera perſpicacioris :
Pro qua ſplendidiusq. , lætiusq;
Viues cum ſuperis perenne ſeclum .

Ad Antonium Mariam Carabellum .

TE natura parens lyræ , modisq.
Aptum finxit , uti canas quod aſpras
Tigres molliat , impioſq. manes :
Quod poſsit reuocare triſti ab orco
Rurſus Euridicen , ſuamq. Ditis
Olim quam rapuit ferus puellam

At tu carmine Carabelle cessas
Demulcere nouo furentis iras
Turbæ, nec recreas (ut ante) moestum
Te, sed litibus, & foro rebelli
Musis, dure vacas; in hisq. totus
Es: te dira necessitas molestis
Affigit querimonijs, ad urbem
Inuitum retrahens virenti ab agro.
O' mores hominum, dies & atros,
O' nec lusibus, & iocis amica,
Sed lætis odiosa secla Musis.

In aduersarios.

NONNVLLI *Capitis mei sinistrum*
Quærunt exitium, notamq. famæ
Quidam inurere turpiter laborant
Nostræ; qui tacitiq., subdoliq.
Dum nostrum maculare nomen ardent,
Vruntur penitus; facesq. tectas
Excitant, facibusq. lumen addunt
Nostris; & retegunt latentiores
Errores; quibus hi scatent dolosi:
Seq. ignominia notant, probrisq.
Hos quando meritas luunt peresi
Poenas, & fodiunt suum suopte
Pectus Marte, relinquimus. sed illis
Qui plagas mihi comminantur, obstat,
Illorumq. graues retundit ictus

Defensor cupidus meæ salutis
Gusmanus vigil insubrum, sciensq.
Custos, & Philidon meis fauentes
Rebus, & bona pars seuerioris
Senatus, Rubeusq., Quintiusq.
Istis addo Somaliam parentis
Certam bellipotentis, atque magni
Prolem, progenieq. martiali
Exortum, celebremq. Balbianum;
Teq. Paule Camille Mariana
Insigniq., probaq. stirpe natum.
Biragosq. celebritate nulli,
Et regimine, req. militari
Secundos, neque non sacri peritos
Iuris, pontificumq., Cæsarisq.,
Puros criminis, integerrimosq.
Archintos, facilem & Litam, Piumq.,
Teq. nobilis, integerq. Magi,
Vaianosq. genus sagax, & æquum,
Et Rosignolium, atque Fannianos.
Si ciues alios, & optimates,
Atque patritias domos paratas
Opem ferre mihi libenter, edam,
Ingens hendecasyllabis volumen
Plenum conficiam: timebit hostis
Fultum his præsidijs meum ferire
Caput; meq. libentius tuentem
Pupillos inopes cohors amica

Rectos

Rectos nata iuuare, sustinebit.

AD OCTAVIANVM PICCIVM
Vtriusque iuris consultum, & sacrificum.

PICCI quàm faciles tibi Camoenæ
Sint, quàm dulce tibi sonare carmen
Dent vati, numeris doces facetis;
Cui non horribilis lues leporem
Ademit, neque mortis horror ingens.
Qui tam dulce canis minante lethum
Dira peste Deo, & tonante læuum,
Quanto dulcius, elegantiusq.
Tum te credibile est ciere carmen,
Cùm curis vacuo tibi serena
Gaudet mens, vacat & dolore acerbo.

AD OCTAVIANVM MAGGIVM
Venetorum apud Mediolanenses Legatum.

CVR iterum Maggi sacros gustare liquores,
Articulisq. iubes me sociare modos?
Auius à puris procul erro fontibus hæmi;
Nos à pegaseo lite fugante lacu.
Carmen opus vacuæ mentis, lætæq. iuuentæ;
Me fora, me senium carmen hiare vetant.
Desine pegasidum celebri me includere circo;
Dedecet incanas picta corona comas.

Sed

Sed iuuenis laurus uiret apta uirentibus annis;
Hinc iuuenis Pæan, Pieridumq. chorus.
Aptius at frontem Goselini serta poetæ:
Et caput impedient docte poeta tuum:
Vestra etenim Phoebo pubenti gratior ætas;
Gratius ut canitis carmina digna Deo.

AD PETRVM ANTONIVM Lunatum Equitem, & Senatorem.

MERCVRIONE magis Lunate, patrine Gradiuo
Sis carus, dubitat gens studiosa probe;
Nam quibus appares causas orare disertus,
Facundo genitus diceris esse Deo;
Qui norunt tua facta, satum te Marte feroci
Iurant, & pugilem, Martigenamq. vocant.
Qui sapiunt, fulsisse putant feliciter æquè
Nascenti puero sidus utrunque tibi.
Qui cùm belligeras, Mars esse videris; & idem
Cùm loqueris magni nuncius esse Iouis.

AD GALEAZIVM BRVGORAM Senatorem.

NON nihil ætherei tibi seminis arguit esse
Brugora vis ardens corporis, atque animi.

AD ANTONIVM RVBEVM IVreconsultum, & iustitiæ præfectum.

LAETANDVM quoties dignis præbentur honores;
  Vt tibi condigno iure tributus honos.
Quòd reges sapiunt, donant cum fascibus æquos
  Consultos iuris, muneribusq. duces.
Cætera rex sapiens, cœlestis habetur in uno,
  Quòd tibi ius scitè dicere posse dedit.
Cui uirtus Rubei patet, integritasq. probatur;
  O felix, culpas te prohibente, forum.

AD FEDERICVM QVINtium iusdicentem.

EGREGIVM sancti mens dia, catiq. Senatus
  Te, dotesq. tuas suspicit, atque probat.
Hinc aliquos merito Quinti largitur honores,
  Delatura dehinc munera digna tibi.
Parua licet patres dederint potiora merenti,
  Haud tamen hisce parum est cœpta placere tua.

Cur monstra commenti sint poëtæ.

MIRAMVR tot monstra pijs expressa poëtis,
  Vt minotaurum Pasiphaës genitum;
Vt scyllam canibus cinctam, formasq. Chimæræ,
  Multiplexq. aliud, monstrificumq; genus:

Empedoclisq. nouas facies, geminataq. membra
Artubus humanis; ut bouis, atque lupi;
Est genus hoc hominum, cui mens rudis, effera, næuis
Oblita; quæ reddit bruta, trucesq. feras.

AD HIERONYMVM CASO-nium Philosophum.

BARBARIEM plerique sonant, qui scripta sophorum
Exponunt, ijdem verba latina notant;
Teq. quòd apposité loqueris, mordere dicaces
Audent, ornatis anteferuntq. rudes;
Nouit Aristoteles leges sermonis achæi,
Hasq. secutus; eas scripta Platonis olent:
Porrò tu sensus Casoni, & uerba magistri
Qui sequeris, sapiens es, lepidusq. simul;
Ornatus etiam docti Boldonius, atque
Albutius laudant, suspiciuntq. tuos;
Qui testes pro mille graues sunt testibus; hisce
Incultos ridens, perge placere uiris.

DE FRANCISCO PANIGAROLA, Annibale Vrbinate, & Zacharia Mediolanensi, alijsq. Illustribus Theologis.

CASTA Sacerdotes, diuinarumq. Magistros
Legum quàm cuperet Musa probare mea?
Syllaba sed prohibet; nec claudere nomina uersu

Barbara

Barbara nos latio lingua latina finit;
Scribere nec didici miras epigrammate laudes
Horum, quas caperet uix satis historia.
Vel sumant aliud nomen, uel Liuius alter
Dicat eos; nobis quos reticere licet.

AD ANNIBALEM VASTIVM.

SVRDVS es, & tenui compellas uoce sodales,
Atque tuos nemo percipit aure sonos;
Historiasq. cupis longas nouitatis amator
Discere; eas socijs & recitare tuis.
Quamuis Marcellus, comes & Spineta fidelem
Te socium Vasti, teq. Luinus àment,
Tecum uerba tamen faciunt non sponte, quòd æger
Tædia fers illis ore, sed aure tibi.

De ingratis primatibus.

VT preciosa suo defert qui munera regi,
Fert paupertatem, flereq. perpetuum,
Sic quisquis numerat locupleti millia nummum,
Fert odium ueteris seruitij precium.

De amico extincto.

EXVLAT à terris animæ pars altera nostræ,
Pars apud insubres altera uiuit adhuc;

Examinesq. meos ducit nunc spiritus artus
Non meus; hinc uiuo mortuus ipse mihi.

DE IO. THOMA ODESCALCO Senatore.

QVID deceat cautumq. uirum, culpaq. carentem,
Nos Odescalchi vita magistra docet.

In auarum.

OCCVRRIS quoties tenui mihi diues, in ære
Narras esse meo te, memoremq. mei;
Narras, sed nummos nunquam mihi porrigis; hercle
In magnis opibus Tantalus alter eges.

AD HIERONYMVM PICVM Mirandulanum C.

MAGGIVS humanis decessit amicus, & hospes,
Iucundusq. tibi, perpetuusq. comes.
Cui lepidus lepido, doctusq. poëta poëtæ
Docto sensa palam fidere suetus eras.
Oppetijt; sed enim si numina mente tueri
Pice vigere vocas, lætius ille viget.

DE SEVERINO MEDIOLANENSI Sacerdote sub diuo Augustino merente.

ARTE Seuerinus prior, an probitate sit, æquè
Ambigo; nam certè mirus utraque viget.

AD DOMINICUM CLARITUM.

NOBILIS insubrum Clarite profectus ab oris,
Accesti Venetos, Euganeosq. lares:
Lætum ubi prælustris Veneri, insignisq. Manuti
Te, Guidiq. sacri detinet hospitium;
Gaudeo te placidæ fructu gaudere cohortis,
Congressuq. nouo, colloquijsq. frui.
Te queror absentem; se dulci miscet amaror:
Dulce tamen sæuam uincit amaritiem.

Ad Insubres.

LEGATI duo præcincti fulgente corona
Virtutum uestræ geminum decus urbis, ab urbe
Decessere, Calandra parens quem Mantua misit;
Maggius & Venetis à terris vestra profectus
Ad loca, qui gemino lustrabant lumine sedem
Hanc, ut vterque suam proprijs insignibus ornat.
Pro quibus Vrbinas Paciotus nomine Felix,
Et rebus, linguas pulchrè qui callet, & artes,
Sulpitiusq. sophos, sophiæq. magister honestant,

Illu-

Illustrantq. plagas duplici duo lampade soles
Vestras. acceptum dempta pro luce dolorem
Lætitia pensate; noua quam luce reperta
Percipitis: cæcam hæc pepulerunt lumina noctem.

AD BENEDICTVM GVIDVM
diui Benedicti imitatorem.

INCORRVPTA licet, nullaq. notata piorum
Fratrum labe domus sit ducis ampla tui,
Atque agat ad præscripta, Dei, diuumq. ministra,
Docta tamen uates erudit illa suos:
E quibus ipse canis quæ, Thrace nobilis Orpheo,
Iudicet Orphea carmina digna lyra.
Guide pius certè duplici ratione sacerdos
Es, quia metra sonas, & quia sacra facis.

AD ZACHARIAM CAIMVM
Medicum.

GALENVM graio, Celsum sermone latino,
Pæonia medicum Pæona reddis ope;
Alter Galenus, Cornelius alter, & alter
Pæon es; atque tuum par tribus extat opus;
Quòd si non totidem noscet Camutius artes;
Vnus pro cunctis docte Caime fores.

De præstantia artis medicæ.

DIVINI, quòd opis medicæ Deus author Apollo,
Sunt medici, dites artis Apollineæ.

Ad Primum Comitem.

ES comes, & Primus, sapiensq., piusq. sacerdos,
Primus, ut excellas nomine, req. sacer.

AD IOANNEM SPINOSAM.

DICITVR ut lucus quia cassus luce, quòd hæret
Spina libris non ulla tuis, spinosa uocaris.

AD CAROLVM A BASILICA
Petri Sacerdotem.

DIVINIS nisi mutaßes modulamina rebus,
De te Musa sacer Carole questa foret.
Quòd tibi diua pedem facilis ferat, atque secunda;
Aptius ut nulli nobile dictet epos.
Quippe boni uates alij componere versus
Ceßant; quos suaues perdocet illa sonos.
Mutius ut Pusterla, sagax ut Carcanus, ambo
Consulti, ut prudens Picius, atque memor;
His quia post artes rhythmi, post Pallada Musæ
Sunt, irata dolet, conqueriturq. Dea.

Tu

Tu ſanctis operare choris; datur unde perenni,
Aetheriaq. frui luce, Deoq. tibi.

AD PROSPERVM VICE. comitem.

QVIDAM phidiaca reges, heroas & arte
Celarunt; hoſdem pinxit & hiſtoria;
Inclyte quos Proſper gemina feliciter arte
Exprimis hiſtorica, phidiacaq. duces;
Tantum uni debet ueterum tibi fama ſuperſtes,
Hiſtoriæ quantum, ſculptilibusq. ſimul.

AD ANDREAM CAMVTIVM Phyſiologum, & medicum.

CVI virtus teſtata tua eſt memorande Camuti,
Semine mortali te negat eſſe ſatum.

AD GERARDVM BORGONIVM.

RES tenueis Gherarde tibi fortuna miniſtrat;
Sed ſanam mentem genitrix in corpore ſano
Ingenuit natura; modos Thymbræus Apollo
Scribere poſſe dedit tuſcos, tuſcæq. Camœnæ.
Tu tibi quæſiſti pulchras ope Palladis artes,
Nec plus æris aues, quàm victus poſcit, & uſus;
Iſta mente uiges Craſſo locupletior. æquum
Te Deus ut finxit, ſic omni proſperet æuo.

AD

AD IACOBVM CRITONIVM SVPERSTITEM.

NE nihil eximium capiat pulcherrimus orbis,
 Ipse sator mundi tempus in omne cauet.
Socrate sublato iactarunt secla Platonem;
 Mortuus iste locum cessit Aristoteli.
Cognatus tibi præteritis Critonius annis
 Dum superabat, honos orbis auitus erat:
Nomine quem referens claro & cognomine Scotum
 Fers terris amplum Scotus & ipse decus.
Quæq; diu prius Argolico post aere dulci
 Ausonio voluit blanda Thalia frui,
Nunc gelidum latio digressa recessit ad axem,
 In primis Scotos gaudet obire lacus.
Hinc prædulce canit soboles Critonia carmen;
 Præq; alijs suaues dant tua plectra sonos.
Temporibus nec nostra vetustis inuidet ætas;
 Nam reddis veteres ipse lepore tuo.

DE GEORGIO, ET IOANNE Manricis fratribus.

MANRICOS cupidi celebrare poemate fratres,
 Conficiant longæ par opus historiæ.

In Ruffum.

QVOD tua non paruis opibus mens dedita Ruffe
Est, tumido laudes diuitis ore ſonas.
Aſſentatorem ſed Ruffe referre Gabinum,
Non laudatorem diceris arte tua.
Quòd locuples, & iners minus eſt laudandus; & ipſe
Non quòd inops, ſequeris ſed quòd auarus opes.

In Tigellium.

SORTITVS magna nuptam cum dote Tigelli
Pauper es, vt coa veſte ſuperbus eas.
Cedere ſi neſcis quibus es primoribus impar,
Quem tibi poſt duces ditior eſſe parem?
Quæ modò vix capiunt ſe parua turgida conche,
Appoſitus rumpet mox tua membra tumor.

AD CAMILLVM CASTELLATIVM I.C.

HVMANO ſi diua loqui velit ore Minerua,
Ore velit loquier docte Camille tuo.

DE ASCANIO, ET ALFONSO
Mozionijs fratribus.

QVICQVID præcipuos homines illuſtrat, adepti
Sunt ſatis Aſcanius, frater & Aſcanij;

No-

Nobilitat natura parens, fortuna secundat
Hos dites animi, conspicuosq. bonis;
Quodq. decet, legesq. iubent, & sanctio diuum,
Ciuibus vtiliter præstat vterque suis.
Non geminos (vt sit facies non vnica) fratres
Verùm vnum (tantum conuenit hisce) putes.

AD GASPAREM TVRRIVM Iurisconsultum.

ABSENTEM *quereris Terzagum candide Turri;*
Et te Terzagus comis abesse dolet:
Ingens telluris spatium vos distinet; vna
Mens ligat; hoc verum dico sodalitium.

In funere Gabrij Serbelloni Eq.

INNVMERIS *claret stellis innubilus æther;*
Tantum vno diues sidere fulsit humus;
Hoc fuscis etiam terris inuidit olympus;
Auxit & hoc nitidas, quas gerit, igne faces:
Luce tua Gabri tellus modò clara, tenebris
Nunc latet; hac ardens purius æthra micat.

In obitu Ascanij Centorij.

QVALIA *suscepit, si reddat semina tellus,*
Hæc oratores, historicosq. ferat;

Corpore Centori quæ fœta iacentis; hic vnus
Pro mille historicis, rhetoribusq. fuit.

AD PETRVM PONZVM ductorem Velitum.

PROFVIT ignoto, quantum vix proficit vlli
Vir fidus socio, vis mihi Ponze tua;
Quòd requie, quòd pace frui mihi contigit, vni
Acceptum id refero dux animose tibi;
Qui tegis externos tam fortiter hospes, amicis
Quàm sis ipse tuis obsequiosus homo
Quis dubitet? regum tibi mens, & regia virtus;
Præter regis opes, omnia regis habes.

AD IVLIVM BARTVM Sacerdotem.

MORIBVS italicis ritus qui iungit iberos
Vir probus, hoc scitè, compositéq. facit;
Haud etenim cuiuis connectere dissona proptum est;
Discordesq. animos conciliare cati est;
Tu comes hispanis generosæ natus Ilerdæ,
Ausonijsq. comes crederis ausonius.
Cui tua non constat Iuli solertia? gratus
Qui vir es hispanis, gratus & ausonijs.

AD HIERONYMVM Burgundium.

QVI meritos ciues iuuat officiosus in omnes,
Carus hic est patriæ, carus hic est superis:
Quòd leuat auxilio mortales, quòdq. beatis
Se dijs consimilem præstat, vtrisque placet.
Talem Burgundi populus te prædicat æquus,
Qui iusta trutinat facta bilance tua.
Cui tua suppetias homini negat insita virtus?
Istuc cœlestes est similare Deos.

DE AVE MORTVA IOANNIS Mendotij I. C.

ALITE cum picta perijt canor; inde silente
Quæ resonabat humo, muta sepulchra canunt.

De eadem.

POSTQVAM dulcisonus cecidit Mendotius ales,
Dedidicit dulces hæc plaga mœsta sonos.

AD IO. BAPTISTAM SVSIVM philosophum, & medicum.

NON aliter maculas animorum dogmate Susi,
Quàm medica morbos corporis arte leuas.

AD FRANCISCVM TONSVM equitem.

ACER *Martis eques, cui mens interrita Tonse,*
Certè incredibile est quanto tueare poëtas,
Et scitos homines nisu; nam martia proles
Est Musis aduersa; tibi nil carius illis.
Nimirum quia Tonsus eques, quo blandius alter
Non recinit lyricos uersus; te iure propinquum,
Germanumq. uocat: fraterno iunctus amore
Cui, doctos tu ritè probas, & protegis armis,
Atque opibus. debetur honos fortissime belli,
Virtutisq. tibi; nutris quam miles, & ornas.

AD SIGISMVNDVM FOLIANVM.

QVID *fletur Foliane tibi Rasarius artes*
Edoctus Phoebi, Cecropiæq. Deæ?
Cultus & Vbaldus quid fletur? uterque beatis
Assidet insertus, coelitibusq. choris.
Hos potius nostri miseret; qui præda vagamur
Casus, morborum, falciferæq. manus.
Nostrum (crede) mori est; illorum uiuere: nostram
Te magis æqua iubet causa dolere uicem.

AD CAESAREM MILLEFANTVM

SVNT *quibus uberior uerborum suppetit usus;*
Vox quibus, atque latus deficit, atque decor;

Hæc

Hæc alijs inſunt, deſit ſed copia; multis
Hæc, atque illa Charis, Mercuriusq. negat.
Tu uerò linguas, & geſtus, quæq. peritum,
Facundumq. decent, omnia Cæſar habes.

AD IO. PHILIPPVM GHERARdinum, & Ludouicum Gandinum.

GHERARDINE mele, Gandineq. dulcia uates
Quos ceciniſſe palam eſt,
Quòd blandis genitos numeris haud paſcitis, hæmi
Deſeruiſtis aquas;
Nunc ſapitis, dulcem natis qui quæritis eſcam:
Deſipiunt alij;
Qui laudis cupidi feſtinant perdere uitam;
O` ſtolidos homines;
Qui fame tabeſcunt, famam dum quærere tentant;
Atque inopes pereunt.

In auarum Cauſidicum.

VT Plutum locuples, & opes ſequereris, egenos
Dijs caros, numenq. patrone peroſus es, ergo
A Ioue neglectus, manes detruſus ad imos
Aeternum diues cum Pluto dite manebis.

AVGVSTINVS GAMBARELLA de fortuna loquitur.

ANTE citis reuoluta rotis fortuna, nec vno
Vultu, nec stabili mente, nec æqua fuit;
Se modò dedidicit, vestigia figit; eodem
Vultu recta probat, constat & ipsa sibi.
Anellum mi iusta dedit repetita bis; omni
Aeuo sis constans sors, facilisq. mihi.

IN OBITV EVSTACHII Amati.

IMPIA mors rapuit Gonzagam Martis alumnum;
Quicum res omneis mersit iniqua meas;
Seruitium, magnusq. labor, diuturnaq. cura
Octaui tecum deperiere mihi.
Nec satis est auidæ morti, res protinus omnes
Deleuisse meas, me quoque sæua tulit.
Morte sed hac melior defuncto vita reperta est;
Donaq. sunt saluo diuitiora mihi.

AD FEDERICVM BORROMEVM C.

QVAMVIS præbuerint carum te ciuibus, atque
Conspicuum sobolis lumina clara tuæ,
Lumina quæ præstes diuæ Praxedis in omnes
Diffudit terras, condecoratq. magis.

Gra-

Gratior ipse tamen, multoq. illustrior istis
  Dotibus effulges, luminibusq. tuis.
Ornamenta tibi Federice domestica multos,
  Sed tua non multos exhibuere pares:
Hac alijs unus præcellis laude, magistros
  Quòd largo cumulas splendidus ære tuos.

IN OBITU ZACARIAE EREMItani Theologi.

TE diuinarum perfecta scientia rerum,
  Et proba coelestem uita fuisse probat:
Ut coelestis eras, coelis homo debitus; ergo
  Te superos inter quis neget esse choros?

Ad amicum.

CUM tibi pauperior nihil auxiliarer opimo,
  Adiutor nobis ipse frequenter eras:
Nunc ubi nostra tulit magnum tibi cura leuamen,
  Desinis immerito commodus esse mihi:
Quòd ferio mea membra, tuos dum curo dolores,
  Desistam merito tommodus esse tibi.

In pictorem quendam.

QUOD cupido pictura tibi nil laudis, & æris
  Vana dedit, duram sed sine laude famem,

Mensor quàm pictor mauis insane uocari,
Euclidisq. operum, Pythagoræq. rudis.
Ars noua sed uetulo tibi tectior arte uetusta
Imminuit famam, congeminatq famem.

In rudem litterarum censorem.

DVLCIBVS agrestes quia præfers barde loquelas,
Diceris auriculas regis habere Midæ;
Sic stolido longas Phoebus tibi duplicet aures,
Vt lepidos asini percipis aure sonos.

De Flabellis.

VIVIT frigoribus nimios qui temperat æstus,
Aestus diminuunt mota flabella graues;
Vtile solstitijs quis non emet ære flabellum,
Cuius ope adducto frigore, uita manet?

Author de se ipso.

ANNOS bis geminos, bis senaq. lustra peregi;
Incolumis puber, uirq., senexq. prius;
Nec mihi cura fuit gemmas, atque æris aceruos
Quærere, nec latum bobus arare solum;
Aerijsq. domos amplas æquare colossis,
Nec picturatis enituisse sagis;

Barbaricis nec equis ferri, nec habere ministros;
Pingue nec armentum, regificasq. dapes:
Unica sed iuuit uirtus me laudis auarum,
Nec plus poscentem, quàm ferat usus, opum;
Nunc uetus, æger, inopsq. labo, nec deprecor hasce
Aerumnas, aliquem tristibus oro modum.

IN OBITV MARCELLI CASTI-lionei I. C.

SICVT *vixisti Marcelle perutilis urbi,*
Estq. tua multis parta salute salus,
Sic obitu non parua tuo dispendia plebi
Fers, nec nullus adit sæua pericla cliens:
Sulpitij normas nosti, decretaq. prisca,
Cæsaris & leges, pontificumq. libros.
Inter consultos iuris, celebresq. patronos
Conspicuus, classis lumen, honorq. tuæ.
Non te surripuit tibi mors, sed ciuibus; immò
Te tibi restituit, coelicolumq. choris.

IN OPVS HORATII CARPANI I. C.

EST *homicidarum liber hic homicida, nec asper*
Occidit quenquam, tela nec ulla gerit.
Sed prohibet nequis mortales enecet; hoc est
Sanguineas scriptis exanimare manus.

DE LIBRO IOANNIS MARIANI C.

SI quibus est studium Bizanti noscere cultus,
Quos celsa varios Phœbus in vrbe videt,
Tam clarè cernent pictos hoc indice libro,
Quàm qui threicia ducit in vrbe moras.

AD BERNARDINVM BALDVM.

SOLLICITIS tusco præcepta poëmate nautis
Tradidit Vranie te Balde poëta magistro;
Commoda remigibus posthac, facilisq. futura,
Istas edoctis, aperit quas Pieris, artes;
Aequa tibi; Dij nanque fauent mortalibus ægris,
Qui monitis parent, diuinaq. iussa capessunt.
Viribus astrorum notis, & flatibus euri,
Atque noti, trucis & boreæ, lenisq. fauoni
Te monitore, tuoq. instructi carmine discent,
Quà teneant cursum naucleri, quos maris æstus
Vitent, & scopulos cauti; nauemq. per undas
Salua merce, uirisq. trahent, portuq. subibunt.

Ad adolescentes.

EXIGVAS ut quærat opes, plerunque minaci
Committit uitam cum trabe turba salo;
Millia quot iuuenum spe lucri castra sequuntur?
Nec metuunt æstus, frigora, tela, necem?

Sed

Sed quos spe ducunt artes, speciéq perennis
Vitæ, uos chartis inuigilare piget.
Non sic prisca Remi pubes, grainmq. iuuentus;
Quæ laudis studio quodq. subiuit onus.
Iam clarum studijs contendite nomen apisci,
Nec grauis est illis incubuisse labor.

DE FEDERICO COMMANDINO.

DESIERANT homines doctam tractare mathesim,
Hinc ea delituit pene sepulta diu.
Sed Commandini vigilis noua cura iacentem
Restituit nobis, restituitq; sibi.
Nomen hic Euclidis meruit me iudice, talem
Illius esse probant scripta recepta uirum.
Scilicet Euclidi quantum sua tempora prisco,
Euclidi debent secula nostra suo.

AD NICOLAVM SFONDRATVM Cardinalem.

CONSPICVI patris, & patrimoni dignus ut hæres
Sis, tincta est tyrio murice læna tibi.
Quas tribuit merito diues natura parenti,
Has eadem genito prodiga præbet opes;
Ingenium, fandi normam, uirtutis amorem,
Quæque caput sanum, sanaq. membra ferunt:
Quos vigiles studio Sfondrati auxistis honores;
Fors simili uestrum fauit utriq; modo.

Purpu

Purpureo dedit ambobus ſplendeſcere cultu;
Mitraq. uos habuit præſtitis, atque toga.
Sed quæ non hæſit, caſu prohibente, paterno;
Hærebit capiti gemmea mitra tuo.

IN OBITV RENATI BIRAGI Cardinalis.

CLARIVS *exanimis, quàm longa ætate ſuperſtes*
Nomine noteſcis ſumme Renate tuo;
Vixeris ut notus multis inſignibus, ornant
Latos quæ clauos, purpureasq. togas,
Vtq. ſacerdotum meritis Biraga celebret
Te tua progenies, luminibusq. ducum,
Poſt cineres tamen æthereo fulgore coruſcus,
Cum ſuperis tanquam morte renatus agis.

IN OBITV ANTONII ANTONIANI Bibliopolæ.

QVI *iuuenis nunquam requieuit, quiq. labores*
Duxit poſt multos ocia grata ſenex,
Poſt obitum haud requieſcit in hac Antonius urna;
Antipodum ſed emit bibliopola libros.

AD GOTARDVM REYNAM Senatorem.

VT *gemmis inſigne renidet purius aurum,*
Vtq. micant auro lutea texta magis,

Sic

Sic clari ſplendore ſuo, ſanctiq. Senatus
Ditior adiuncta lampade fulget honos.
Tu noua fax æqui radias Gotarde Senatus,
Nunc uerè ſplendet lucidus ordo patrum.

AD IO. ANTONIVM ODESCALCVM Senatorem.

FVLSIT *Odeſcalchi prælustris honore Senatus;*
Quo functo abſceſſit pars bona lucis humo;
Lumen Odeſcalcus patribus modò reddidit alter,
Nec minus enituit ſole recente vetus.
Ne lectos non mira patres lux ornet, auita
Pro face fax illis naſcitur vſque noua.

DE HIERONYMO MONTIO Senatore.

MONTIVS *exceſſit ſuper alta cacumina montis*
Parnaſſi Muſis, & tibi Phoebe ſacer,
Hoc illi chorus Aonidum conceſſit alumno,
Auris dum viuo fata dedere frui.
Poſt obitum felix conſcendit culmina cœli:
Viuus, & exanimis Montius vſque fuit.

AD FRANCISCVM PANIGAROLAM ſingularem & theologum, & concionatorem.

DAEDALA *ſemideos mens arguit, osq. canorum,*
Quod facili illuſtrat myſtica verba ſono;

Dum-

Dummodo ſit placido grauitas condita lepore;
  Quæq. decet ſuperos, gratia iuncta ſono.
Hæc plene Franciſce tibi diuinitus vni
  Tradita, ſemideum te genus eſſe probant.

DE AEGROTATIONE IOANNIS Tonſi Equitis.

IMMERITVM te Tonſe nimis ferus ulcerat angor,
  Atque tuos artus feruida febris edit;
Parce ſecare boni dolor inteſtina poëtæ;
  Nam nulli vates fas uiolare pios.
Illæſoſq; ſacerdotes iubet eſſe deorum
  Sanctio; luctificum Dij prohibete nefas.
O fera naturæ uulgo quæ miſcet inerti
  Lex gnaros homines, hymniferumq; chorum,
Quæ neque vaniloquo cautum ſecreuit Vliſſem
  Iro, nec famulo te cate Flacce rudi;
Humana tamen arte cohors ſe docta remouit
  A grege; qua virus mortis, & arma fugit,
Qua parat inuita vitam ſibi morte perennem;
  Qua Tonſus dempto fine ſuperſtes erit.

IN OBITV HIERONYMI DONATI Veneti.

QVIS tua lethali violauit pectora ferro
  Impius, atque anima pubentes exuit artus?

Sustulit & tecum diuinum laudis honorem?
Sustulit & mores, linguas, & dogmata, & artes?
Ah nimium scelerata manus, feralis & hasta;
Casta cruentauit quæ corpora, pectus & hausit
Innocuum solidæ flumen uirtutis, & æquè
Graijs carminibus, latijsq. accentibus aptum.
Quantum splendoris Venetæ mors abstulit urbi?
Quanta luce caret studiosa academia uatum?
Quanta patricius seniorum decidit ordo
Spe? culpæ, & sceleri, quantum terroris ademptum est
Consilium prudens tibi, mensq. senilis ephebo,
Inq. homines pius, atque Deos es notus, & æqui
Defensor, placidusq. fero uel amabilis hosti.
Pro quibus acceptum superis, Donate beatos
Inter coelicolas quis te neget esse relatum?
Aeternumq. frui diuina luce parentis?
Quæ nobis sunt sola necis solatia duræ.

IN EXEQVIIS ANNAE AVSTRIAE
Reginæ Hispaniarum.

A GRADIBVS *primis octo tolluntur acutæ*
Pyramides celsi culmen ad usque tholi;
Atque decem statuas breuior capit ordo secundus;
Fert & eo breuior tertius ordo decem;
Reginæ tumulus medium sese erigit inter
Effigies ueterum, pyramidesq. nouas;
Cerea mille diem uincunt funalia luce;
Quorum pars ædis lustrat utrunque latus;

Pars se diffundit circum monimenta, nec usquam
Tot facibus claret, taleq. surgit opus.

IN OBITV NICOLAI BOLDONII, & Io. Petri Albutij medicorum.

SICVT honorifici Podalirius, atque Machaon,
Hiq. salutiferi peruiguere suis;
Sic senis Albuti, Boldoniq; arte magistra
Laus est parta suis ciuibus, atque salus;
Proh dolor, inuita populus ne morte superstit,
Authores uitæ mors uiolenta tulit.
Pro uita populo quæ præbita, degere uitam
Iuppiter his hilarem, perpetuamq. dedit.

Author ad seipsum.

OMNIA parua tibi Baldine pusille tributa
Sunt, persona breuis, res, domus, atque toga;
Linea texta, thorus, lodices, mensa, supellex,
Aes, loculi, uires, gratia, sermo, fauor.
Sint quamuis hæc parua, tamen non parua cupido
Virtutis, tenuis nec tibi laudis amor:
Paruulus hac uulgo ratione uideris inerti,
Non ita te paruum qui sapit, esse putat.

DE CAEDE IACOBI CRITONII.

NATVS in agresti, gelidoq. Critonius orbe,
Quem sterilis Scotus, barbariesq. tenet,

Græcissa-

Græcißauit uti doctis nutritus Athenis,
Vtq. latinus homo verba latina dedit;
Cùm tuscè loqueretur, eum miratus hetruscis
Iurasses ortum, & se tenuisse locis.
Teutonico magnos expressit Teutonas ore;
Arguit hunc Gallo gallica lingua satum;
Nouit Aristotelis sensus, graiamq. mathesim;
Diuorum & monitus, Moeonidumq. sonos.
Non tenuis labor est alias intexere chartis
Illius dotes, dignaq. verba Deo.
Proh dolor, undenos bis nondum impleuerat annos
Formosus, soboles regia, miles, eques;
Cùm caput hymniferum manus impia sustulit, inde
Herois heros assidet usque choris.

IN OBITV SVLPITII ARLOTI Philosophi.

TOT mihi dilectos mors est prædata sodales,
Dum sol præterijt ter tria signa rotis;
Vt plures socios tulerit pars unius anni,
Quàm lasso dederint lustra, laborq. mihi;
Nunc quoque Sulpitium, quo non præstantior alter,
Mors animæ partem surpuit atra meæ.
Quo tuto calcat pede Mortis terga superbæ;
Postquam deseruit lumine cassus humum.
Viuida nam uirtus nocituræ nescia mortis,
Tranquillè, domita Morte, superstes agit.

IN LIBRVM VBALDI Gherardi.

QVI virtutis amant insignia pulchra doceri,
Quæq. sequi iuuenes, quæq. cauere decet,
Vbaldi cultum discant opus; indice libro
Hoc rectum pubes lecta tenebit iter.

AD ALFONSVM MOZIONIVM.

SI te versiculi iuuant, iociq.
Qui mentes recreant, decentq. vatem,
Nil est, quòd cytharam rudem fatiges
Nostram; dedidicit sonos uetusta
Corrosis fidibus, nigroq. tincta
Fumo, clauiculisq. fixa scabris.
Hæc percussa manu cita, leuiq.
Odit pollice tangier senili.
Alfonse ergo chelym iocosiorem,
Poëtasq. require blandiores,
Si te versiculi iuuant, iociq.

AD ALDVM MANVTIVM Pauli filium.

ALDI docte nepos pereruditi,
Et Pauli patris elegantiarum
Fili, patris, auiq. certa proles,

Et cognominis, atque laudis hæres
Aeternæ, ut titulis Manutiorum
Addi luminis, & celebritatis
Nil possit, tamen Alde clariores
Hos uirtus tua, claritasq. reddit.
Sic te numina prosperent, ut ornas,
Si qua luce potest honos auitus
Ornari, patriusq.: dentq. lætis
Affulgere tibi choris; perenni &
Par, famæq. tuæ vigere seclum.

AD SYLVIVM SPANNOCHIVM I. C.

VT tellus foecunda nouos fert ubere fructus,
Atque ferax partu plenius ipsa suo est,
Sic Sylui profers iterum qui scripta, videris
Editione magis fertilis esse tua.
Perge tuis ditare libris fora; Mortis aduncam
Sic falcem temnes, & trucis ora Deæ.
Post cineres quia fata dabunt tibi ducere vitam,
Atque alijs fructum ferre, decusq. tuis.

In aduersarium.

QVAERIS vti tecum feriam sociabile foedus,
Permetuens noceat ne mea lingua tibi;
At percußa nihil prohibebunt foedera, fido
Occultè noceat ne tua lingua mihi:

Meq. magis feriet pacem mentita ſimultas,
Quàm quæ tela ferox hoſtis aperta geris.
Hæc ego diffugiam prudens nudata, ſed idem
Ad tacitum uulnus non ita cautus ero.
Te mihi concilies, magè qui nouus hoſpes amico
Pernicioſus eris, quàm vetus hoſtis eras?

IN OBITV FRANCISCI Bernardini Beſutij.

DILECTA *lauro corpus cecidiſſe Beſuti*
Ficta tibi nuper monſtrat imago tuum;
Mortis erant ſimulachra tuæ prænuncia; nanque
Stamina mox rupit Parca ſiniſtra tibi.
Caſuræ ſpecies erat index molis onuſtæ;
Nam domus eſt animæ celſior apta leui.

In uentoſum hominem.

H*Is aperis aditum ad cœlos uentoſe, quibus cum*
Eſt tibi ſermo frequens, hoſpitiumq. uetus;
Eſt generis quia grata Deo tolerantia noſtri;
Quam monitus ſubigunt diſcere quenque tui.
Tu uerò nimis impatiens. hinc tartara viſes
Tu, duce quo ſcandent ſidera celſa tui.

DE CATELLA MORTVA Claræ Goſelinæ.

QV1 *modò conſpicuus nobis arſiſſe cometes*
Creditus, eſt ſtellis addita ſtella canis;

Albam

Albam Albæ claram Claræ quam surpuit æther,
Hinc magis albet ea, claret & æthra magis.

AD CAROLVM ARAGONAM
Terræ nouæ Principem.

OMNIBVS *exoptant studijs te, læta iuuentus,*
Matres, atque nurus, inualidiq. senes;
Scriptorum qui docta probant præcepta, sophosq.,
Quos vitæ candor, iusq., piumq. iuuat.
Nam duce te spes certa locum fore legibus; aptè
Imposito culpæ, litigijsq. modo.
Nil etenim, nisi quod rectum dabis integer, æquus,
Et catus, & princeps, ingenuusq. pater.
Sic tibi dent faciles cursus quæsita petenti
Littora Leucothee, Nereidumq. chorus;
Sospes & in nostris facias vestigia terris,
Soluat & indemnis gens pia uota Deo.

DE SALVBRI INVENTO
Antonij Zauatarij I.C.

MILLE *modis homines hominum mens lædere nouit,*
Præcipuè lites commeditata graueis;
Quas in longa dolis didicit producere secla;
Plurimus unde cliens tristis, inopsq. perit.
Ars noua sed priscæ certat quæ sanctior arti,
Est citò litigijs impositura modum;

Hac duce non miseros perdent dispendia ciues;
Hac duce spes lassis posse quiete frui.
Numinis hanc ueri monitis Antonius artem
Repperit, ut uetus est tradita Ditis ope.

In diuitem auarum.

CVM magis arcta forent largo tibi prædia, & ædes
Paruæ, uirtutis fautor, & altor eras:
Florebatq. domus tua doctis artibus una,
Nobilibusuatum plena, frequensq. choris:
Nunc uerò quando maior tibi copia rerum est,
Non Aganippæas assis auare facis.
Vt doctas iterum pascasq., iuuesq. cateruas,
Angustet fines limes ut ante tuos.

IN LIBRVM IO. PAVLI HOMATII CAECI.

QVIS mundi partes tam docte pinxit? an Argus?
Non: caret hic oculis, centeno lumine uidit
Argus; Tiresiasne magus, qui luminis expers
Est speculatus, homo quæ nullus calluit? immò
Alter Tiresias insignis, nomine Paulus:
Præter Tiresiam quis enim perspexit acutus,
Codice quæ Paulus tam scitè prodidit aureo?

In eundem.

CAECVS humum, glaucamq. Thetin descripsit, & auras,
Et calidos ignes, æthereasq. domos,

Coele-

Coelestesq. animas, acies quas nulla tuetur;
Nec potis est studio ponere docta manus.
Quis Paulo pictor lynceus oculatior orbo,
Lumine qui celsæ mentis operta uidet?

DE PAVLO MARIA CONCIONAtore Cæco.

NON cæcos cæcus ducit; quis crederet? index
Eius, quæ ad superum limen aperta uia est;
Hoc aquila melius cernit uir lumine captus,
Hoc ut talpa uidet gens oculata modo.

Ad mulierem.

MISISTI duo picta mihi sudaria capto;
Ut siccem humentes perpete rore genas:
Exoritur feritate tua, pietate recedit
Lachryma, sic pietas in feritate tua est.

AD CAESAREM MILLEFANTVM.

CVM latia Cæsar græcorum cognita lingua,
Atque oratorum scripta notata tibi,
Ingenijq. tui uires te sensa magistri
Testantur fidis explicuisse notis.
Membranis igitur qui lucem quærit in istis,
Idem Phoebeo quærit in orbe iubar.

AD PAVLVM HOMATIVM
Cæcum.

TE cæcum putat eſſe, tuos qui percipit aure
  Sermones; lynceum, qui tua ſcripta legit.
Quàm diſtat ſonus à chartis tuus? Argus haberis
  Paule notis, orbum Phinea uoce ſonas.

DE SCIPIONIBVS AFRICANO,
& Simoneta.

QVOS ualida fregit ui Scipio fortis iberos,
  Firmabit doctis Scipio conſilijs;
Infeſtos italis olim, nunc fœdere iunctos
  Scipio Marte ferit, Scipio pace iuuat.

IN FVNERE GASPARIS TVRRII
Iuriſconſulti.

FVNCTVS es heu uita Turri, nec Pallas alumnum
  Te rapidæ potuit præripuiſſe neci;
At nemorum Dictynna potens à morte reduxit
  Hippolytum; nomen Virbius vnde uiro eſt.
Syluarum cultrix ut uiuat ephebus in agro,
  A phlegethonteis hunc reuocauit aquis;
Sublatum ad coelos Dea ſed coeleſtis ab aruis,
  In ſupera gaudet te ſupereſſe plaga.

AD

AD FACIVM GALERANVM.

QVALEM iusta Faci te curia iudicet, index
Est data cura tibi scriptorum quaeq. notandi.

In maritum hircum.

ARMAVIT caput hircinis tibi cornibus uxor,
Ob quae ampullaris, magnificumq. sonas;
Lenis & in moechum iuuenem, moechamq. puellam,
Praeterea in cunctos toruus, atroxq. furis.
Quod caper infida thalami consorte superbis,
Certè non alia coniuge dignus eras.

De Mentula fictore.

BIS senos Titan dum circuit impiger orbes,
Exiguum segnis Mentula finxit opus;
Alter & ignotus Plastes quod poneret anno;
Nec tamen id bellum per breue fecit opus.
Alter at ille tamen Bramantes dicier optat;
Verius at multo mentula nomen habet.

DE CAMILLIS FVRIO, ET Porro.

INSIGNES genuit mirà uirtute Camillòs,
Moribus & sanctis itala terra duos;
Progenuit Furium, Gallos qui contudit hostes;
Quo se commendat martia Roma duce:

Et Porrum, insubres quo ciue, & præside iactant
Se; quem iure uocat diues, inopsq. patrem:
Proh dolor, hos humili populo, & primoribus ortos,
Infletos nullis impia mors rapuit.

DE CATELLA CLARAE GOSELINAE.

VINCIT *ebur candore canis, quam blanda pusillam*
Clara tepente fouet, lacteoloq. sinu:
Ac maculæ, quibus est inspersa canicula, pulchro
Narcisso rident gratius, atque rosis.
Molliculisq. pilis admota, cutiq. catellæ,
Iudicat hisce nihil mollius esse manus:
Tyndaris huic habuit similem; sic ore lacænam
Clara refert, Helenes ut canis ista canem.

DE CATVLIS MARGARITAE Brugoræ.

LVDVNT *in tenero sinu catelli*
Margarita tuo faceta bini
Formosi, breuior, uenustiorq.
Non ijs aspicitur canis Lacænæ
In Coelo; licet hæc adornet astra
Sextili rutilans lucerna mense.
Horum si placidos uidere visus
Coeperint superi, & sonis cieri,
Descendet Iouis ales, ut tenellos
Ex heræ gremio rapax aduncis

In coelum pedibus ferat, puellum
Vt phrygem tulit; inseretq. stellis:
Si molles catuli placent (ut hercle
Margarita tibi placent) manere
Sub dio placitos ueta; beati
Ne uisos adimant tibi; quaternos
Coelestes nisi uis canes micare.

De dracone, & angue.

EST *draco Romanis custos, insubribus anguis*
Fidus, & in proprium lenis uterque gregem:
Aspera cùm constet mansuescere corda ferarum,
Spes pacem populis est, dominisq. fore.

Author.

CAVTVS *Aristoteles hominem sociabile dixit*
Esse animal, solumq. hominem genus esse deorum,
Aut pecoris sensit: lepidus quo iudice Clemens
Nomen homo meruit; socijs qui diues apertas
Præbuit usque fores; conuiua facetus, & hospes
Comis, & officiosus in omneis, liber, & æquus.
Has hominis proprias dotes ait esse magister.

IN CREATIONE SIXTI V. *Pont. Max.*

CONSONA *quàm rebus sint nomina, discere lector*
Ex triplici potis es nomine Pontificis.

Hic

Hic simul & felix, & mons perhibetur, & altus;
Felix, nanque beat seq., suumq. gregem:
Mons altus, tetigit quia summum culmen honoris;
O tria digna sacro nomina Pontifice.

DE CALAMITATE doctiorum hominum.

PERPETVVM uirtus, quæ degere dicitur æuum,
Vt certè pridem nescia mortis erat,
Et felix, alacrisq. latet sub vestibus atris,
Nunc patiturq. necem, temporis atque vices.

AD GABRIELEM PALEOTVM Cardinalem.

QVAS sibi pontificum poscit preciosa tiara
Cœlesteis dotes, quis neget esse tibi?
Conspicuo clarum Gabriel te stemmate nobis
Legitimo partu Felsina læta dedit;
Humano, faciliq. nihil te gratius; æquis
Et tua ceu scitè facta probantur auis;
Pontificum nosti libros, & ciuica iura
Codice scripta tuo, pieriosq. sonos:
Sacra Deum, moresq. probos iuueniq., seniq.,
Et puero constat collibuisse tibi:
Præq. alijs cupidus Farnesius, & sacer ædis
Praxedis custos est Paleote tui;
Pontificem dare qui soliti: modò uita superstes
Sit tibi, quis nescit te fore pontificem?

DE IVNIORE HIPPOLYTO, & Virbio.

IVNIOR Hippolytum qui priscum nomine reddit,
Rebus ab Hippolyto dissidet Hippolytus;
Ille verecundus, pudor huic non ullus; amore
Hic perit incesto, castus at ille fuit.
Hic meret Hippolyti nomen, non Virbius insons;
Dignior hic etenim qui laceretur equis.

In calumniatorem nouorum operum.

QVOD nihil in lucem profers piger, arguis omneis
Authores operum, quæ noua quisque probat;
Et vigilata tibi numerosa uolumina iactas,
Abdita quæ latebris carpere nemo potest.
Aut profer tua scripta, notent quæ ritè magistri;
Aut scriptos nuper parce notare libros.
Quòd te liuor edit, nasum quòd iudicis horres,
Nil edis; sed opus corripis omne nouum.

AD TORQVATVM TASSVM.

PINXISTI rem quanque suo Torquate colore,
Ingenio uates, & pictor nobilis arte;
Nec melius quàm tu, ueteres sonuere, nouiq.
Præcipuè celebres, quos iactat Hetruria, cycni
Historias, dulcesq; iocos melicoq. grauiq.
Carmine: te talem sapiens affirmat, & æquus
Quisque; tuo contrà te pingere nemo colore
Sufficit, argutus quamuis, notusq. poëta.

Tali-

Talibus ornarunt Musæ te dotibus, ipse
Tot tua præceptis formasti pectora pictor,
Vt te pictorem non exprimat ullus ad unguem.

AD SCIPIONEM SIMONETAM
regium insubrum custodem.

AD Tyriam migras clarissime Scipio Calpen,
Herculeum porrò certus adire fretum:
Hesperios uites æstus, caurosq. monemus;
Et podagram cures, inualidosq. pedes.
Incolumi regum tibi rex, sors æqua, Deiq.
Plenius emerito præmia digna ferent.

DE CONIVGIO CLARÆ SIMO-
netæ, & Gabrij Tonsi Iureconsulti.

LAVDIBVS insignis uiguit si Tonsa propago,
Et meruit nomen, perpetuumq. decus,
Si Simoneteosq. uiros, matresq; pudicas
Herois miscet gloria parta choris;
Quis Simoneteis nuribus, Tonsisq. maritis
Progenitos similes non fore dicet auis?
Heros si Tonsus, Simonetaq. creditur, heros
Is geminus, si quem semen utrumque dabit.

Ode Monocolos.

AD PETRVM FAVNVM
Coslazaram Episcopum.

PVLCHRIS sacrificus nobilis artibus,
Parce præstitibus quas uideo, nouis

Quæsitas

Quæſitas, populos (credo) auibus bonis
Inſubres adijt : ſe quibus aggregat,
Permiſcetq. uolens, ut pius adiuuet
Largis pauperiem muneribus, Deo &
Gratus conciliet numina perditis:
Agreſteſq. probis moribus integer,
Præceptisq. ſciens augeat inſcios
Ciues; atque animis nubila nubilis,
Et morbos adimat turpibus, & reis.
Caſtæ cum pueris dicite virgines
Verſus, & ſuperos tollite laudibus
Diuos, præcipuè cœlicolum patrem:
Intactæq. uiris, atque puerperæ
Lectæ uirgineo, & ſupplice virgini
Hymnos ore ſacros addite virgines;
Quòd diuum placido non ſine numine
Faunus uir ſapiens, & ſacer, & probus
Impulſu, & monitu commoda regio
Spem lætamq. ferens aduena ciuibus,
Horum ſe placitis continet in locis,
Ceu celſo monitor miſſus ab æthere.

AD APOLLINEM, ET MVSAS.

ADVERSERE *licet nobis Thymbræe ſiniſter,*
Muſa licet mecum triſtia bella geras;
Inuitis tamen & muſis, & Appolline rauca
Conabor querulos uoce ſonare modos.

Haud etenim in diuum refero uos numina; diuos
Nec uoco, queis constat roboris esse nihil:
Ius quibus est proprium defendere posse negatum,
Quos fugat omne forum, respuit omnis herus.
Cedite diuitibus, trabeatis cedite uicti,
Et uexillifero, militibusq. feris.
Quid quòd uos leno, & pellex ludibria ducit?
Quid quòd pro nihilo uos parasitus habet?
Pastor in Admeti syluis Latoe, culinam
Nunc coquus insistas; uascula Musa laues.
Non alius uobis usquam locus, arsq. relicta
Nulla, lyræ precium corpora nuda, fames.

In obitu Andreæ Sacerdotis Seruitæ.

F*AVTORES cupidos plures, carosq. sodales*
Est prædata meos mors uiolenta mihi.
Scilicet hæc nostro deerat noua plaga dolori,
Quam mors inflixit tristis amice tua.
Tristis nempe mihi, felix tibi; nanque beatis
Te Deus inseruit pro pietate tua.

In scelestos homines.

I*MPIA uis epulas inopi subducit, & ægræ*
Turbæ, turpis uti membra saginet equæ;
Et pictis uelet sicari membra lacernis;
Extollatq. nocens, sacrilegumq. caput.
Non leue supplicium pendit, qui perdit egenos,
Pus ut alat, tetram sustineatq. luem.

Non

Non pellex, homicida, senexq. scelestus ademptum
Victum impune ferent pauperibus tenuem.
Arbiter afficiet poenis hos rectus; inulta
Haud etenim patitur tristia facta Deus.

In balbutientem.

ORE *nates dixti, conatus dicere nares,*
Naribus & resonis concrepuere nates;
Dissociare nates, & nares non potis, istis
Naribus olfacias usque, petasq. nates.

In obitu Prosperi Pansani.

VIRTUS *pulchra tuo Prosper te nomine dignum*
Fecerat, & Phoebo iudice prosper eras;
Indignum læuus te nomine casus eodem
Reddidit, esq. habitus iudice sorte miser.
Visa tamen potior Phoebi sententia, nanque
In nitido felix æthere Prosper agis.

In sacerdotem plus æquo nouis rebus studentem.

S*Acrifici recto te fungi munere leges,*
Et placare Deum supplice uoce iubent,
Addictumq. sacris, hominum dimittere curas,
Nec curare vices, & noua facta ducum.
Totus in humanis tamen es; nec sacra minister
Quæris, ut indignus sis sacer, atque sacer.

AD HORATIVM CARPANVM I. C.

IVS labyrinthæis ereptum flexibus, æquo
Te monstrante uiam, tramite tendit iter;
Iusta tuus decreta labos insignis Horati
Explicuit, nodis indupedita diu.
Hinc sua neglecti retinebunt iura clientes;
Promptius & causas quisque patronus aget.
Sic dotes Carpane tuæ, tibiq; insita uirtus,
Sic laudes clarent, integritasq. tua.

In nuptijs Dianæ Biragæ, & Alfonsi Rinoldi I. C.

BIRAGOS geminas felix Hymenæe Rinoldis;
Sic geminas uires legibus, arma togæ;
Vt renoues genus antiquum, inuictosq. Catones,
Scipiadasq. duces, legiferosq; Numas.
Quis non heroas prolem putet esse daturos,
Quæ referet priscos arte, manuq; patres?

AD IACOBVM SCOTVM.

SCOTVS es, at pura splendes ut lucifer æthra;
Et docto iuuenis plus seniore sapis;
Italiaq. procul diuiso natus in orbe,
Accentus italos, tuscaq. uerba sonas:
Græcaq. lingua tibi nota est, sermoq. latinus;
Nobilis et uates, atque disertus homo es.
Bis seni niteant homines uirtutibus istis;
Bis sex ergo hominum linguaq;, mensq. tibi est,

De Appolline, & Musis.

EBRIA nunc uatum vino putere caterua
Coepit, castalios quæ bibit ante lacus;
Cauponam tractat discinctus Apollo, culinam
Pieris; hinc epulas, vinaq. carmen olet.

De interitu suæ catellæ.

QVO formosa, tenella, parua fato
Es surrepta mihi canis sinistro?
Quæ tam barbara, tam cruenta lenem
Ausa est perdere te manus catellam?
Angustumq. caput tuum ferire?
Illum crediderim esse viperini
Partum seminis, aut lupi voracis,
Tigridisue feræ cruore natum;
Qui non horruit asper elegantem
Heu te funerea necare dextra.

EPITAPHIVM IO. ANTONII MAGGII.

NON paucis Maggi genitis virtute paterna
Imbutis, vrbem te decorasse palam est.
Ciuibus vt patriam ditasti, ciuibus axem
Ditaturus, eum præuius ipse colis.

AD ADRIANVM SOLARIORVM OPIFICEM

VT præcelluit omnibus vetustis
Nautis inclytus arte Tiphys, argon

Qui uexit, faber Adriane fabros
Sic notos superas honore, norma
Qui ducunt volucres in ære terso
Horas, seu libet æquinoctiales,
Seu quas plana ferunt meridiei
Puncta posterius, priusq. laté
Erranteis, aliasq., Clauijq.,
Orontiq. graui stylo notatas:
Ne cunctos ueteres, nouosq. dicam
Scriptores, quibus horulæ fugaces
Sunt pictæ sapienter. ecquis æquus
Non tuum ingenium, tuas & artes
Miretur? quibus anteis magistros
Omnes: sed nihilo minus probaris
Pulchris moribus, integraq. vita;
Sic candore places, manuq. docta.

In funere Antonij Rubei I. C. & iustitiæ præfecti.

QVI *rubeus facie fuit, & cognomine iudex,*
Sublatus nigra nunc quoque morte rubet.
Quin perlucidior nunc eius in ore rubedo est,
Inter sidereas nam rubet ille faces.
Debitus hic homini fuit & status, & nitor æquo;
Picta sit ut pietas, iusq. colore suo.

In obitu Francisci Sansouini equitis.

MORS *Sansouinum per quem lux itala mortem*
Effugit, prohibet luce nitere sua;

Aeter-

Aeternam meruit lucem, uitamq. perenni
Lumine qui sparsit splendida facta uirum;
Quos tamen huic fines uitæ præscripsit iniqua
Parca, uoluminibus protrahit ipse sibi:
Sic omni uicturus eques spectabilis æuo est;
Sic Mortem uicit, lanificasq. Deas.

AD LVDOVICVM BALBIANVM I.C.

ANTIQVA sate stirpe Balbiana
Ludouice ducum potentiorum,
Heroumq; parente, martiales
Consultus proauos, patremq. alumnum
Martis, & patruos celebriores;
Haud secus studijs, scientiaq.
Ornas, atque tuorum honore fulges.
Hinc mistæ facibus faces auitis
Tuæ solis uti faces coruscant.

AD FEDERICVM QVINTIVM
Iurisconsultum, & præfecti iustitiæ uicarium.

INVITIS *Helicon mihi Camoenis*
Infirmo petitur, seniq. tardo,
Aegris inuius, & graui senectæ;
Hoc accliue iugum piger laboro
Caducis superare, lassulisq.
Plantis; ut faciles sonare rhythmos
Addiscam, quibus æquus æquiori,
Atque Apollinis, & Mineruæ alumno

Pupillos iterum tibi misellos
Commendem; quibus es meo rogatu
Defensorq., opiferq. destinatus;
Quos ieiunus auet lupus uorare.
Ac nisi auxilio tuo tenellos
Tectos præstiteris, uorax uorabit.
Quem si ius sineret nimis furentem
Insontes auido ferire dente,
Væh meum malè quem sitit, cruorem
Hauriret nimia uoracitate,
Nam quantum pote, me superbus odit;
Per quem faucibus illius pusilli
Erepti, peregrina tecta quærunt;
Ne graue imperium ferant suorum,
Horum res tenueis tuere Quinti,
Meq.: nam merito tibi iuuare
Ius est innocuos; ut arroganteis
Reos iure tuo domas habenis.

IN FVNERE PETRI ANTONII.
Mariani Senatoris.

QVI uitam Mariane tuam perspexit, & æqua
Mentis uota tuæ, multiplicesq, gradus,
Aut rectà petijsse leuem te ducit Olympum,
Aetheris aut nulli claustra patere putat.
Sed potius superum te classibus inserit; ecqua
Si non ista, tibi creditur apta domus?

Author

Author ad seipsum.

NONNVLLIS ideo vates Baldine videris,
Millia rhytmorum quòd tua vena ferat;
Contrà tute negas dici te ritè poetam,
Enarret ficti quòd tua lingua nihil.
Quodq. aßentari primatibus, atque tyrannis
Oderis, & culpes turpia facta ducum.
Ergo recusantem mendacia scribere, ab hæmo
Leno te Phoebus, lenaq. Musa fugat.

AD PHILIPPVM ALBERTVM.

QVI lepidos iuuenis solers est ludere versus,
Qualeis esse doces culte Philippe tuos,
Nulli cessurus veteriq. nouoq. poëtæ
Creditur, implerit cùm sua lustra senex;
Nam fructus suaui qui replet acerbus odore
Nares, quàm gratè mitis odorus erit?
Iucundas fruges viridis tua parturit ætas;
Ac si ver nitidum dulcia poma ferat.
Tale dabis vetus author opus (sic secula viuas)
Quale Maro felix, Mæonidesq. dedit.

In funere Io. Thomæ Odescalchi Senatoris.

QVAE terras viduant mortalibus inuida, clarum
Odescalche tuum fata tulere caput:
Quod nisi desecto exanimassent stamine Parcæ,
Humanum nemo crederet eße caput;

Sed patre Mercurio, lycio uel Appolline natum,
Pallade uel docta, sit dea casta licet.
Nam didicit quicquid norunt tria numina, terno
Lumine quo tellus orba; polusq. nitet.

In obitu Francisci Somaliæ pueruli.

ERGO *læua soror tam bello, tamq. pusillo*
Truncauit puero pollice fila breui?
Diuitibus, clarisq. parentibus unicus hæres
Paruulus hic, lapsus mortis acerba tulit.
Terrenis uetuit pueris colludere Parca
Hunc, pueros inter ludat ut æthereos.

AD D. MARIAM AVSTRIAM
Imperatricem.

INDVPERATORES *atauos, patruumq. patremq.,*
Et sponsum, & natos fata dedere tibi;
Austria quam genuit felix heroica proles;
Cuius sustentat se ditione fides:
Quæ sua largitur uirtuti præmia; sontes
Et premit, & probibet ius uiolare sacrum;
Cuius tot celebres palmæ, tam multa probantur
Prælia, quot puris ignibus æthra micat.
Tot claram donis cœlestibus heroinam
Coelite delapsam quis neget esse choro?

AD LIBRVM IO. BAPTISTAE Caballini.

SI carpit liuore nocens te Zoilus, armis
Te defende; quibus iura tuere liber:
Quisquis poscit opem supplex, opis indiget; arcem
Propugnare vales strenuus ipse tuam.

In obitu Io. Gasparis Barchini Iurisconsulti.

INSVBRVM qui iura dabat Barchinus in oris,
Ad superas felix exijt usque plagas;
Cui quanquam vita functo res abstulit omneis
Mors, haud eripuit sæua perenne decus:
Hoc homo uiuit adhuc, hoc dites uasit ad indos,
Et gades, numidas, bistoniosq. sinus.
Huic iter ad cœlos restabat, uisere & arcem
Aetheris; huc uolucri se tulit ille pede.
Non ullus Barchine tuos sic nescit honores;
Atque sonat nomen qualibet ora tuum.
Sic tibi uita fuit mors, morte sed abstulit una
Multiplici uitam, iuraq. prisca foro.

In obitu Cardinalis Moroni.

CANDIDA morus erat, quæ Thisbes cæde recenti,
Et socia nigruit Pyrame cæde tua;
Funere Moroni rubea pro sindone, & ostro,
Pallia nigra gemens induat ordo patrum.
Lugubri uelut atrata est nece morus amantum,
Sic tyrias fuscet mors tua more togas.

In funere Aloysij Cruceij Medici.

AFFECTOS medica curas dum ſedulus arte,
Laßas membra macer, debilitasq. tua;
Dumq. alijs vitam producis, viuere dignus
Perpetuò, vitam ſurripis ipſe tibi.
O' crucium verè, crucias qui, perdis & ipſum
Te, ne alios cruciet, conficiatq. dolor.

AD PHILIPPVM HIST. Regem.

IMMATVRA tuæ quoniam fleuere poetæ
Nuptæ fata rudi diue Philippe ſono,
Tam te flere decet, quàm lethum coniugis; illam
Fata, tibi vates eripuere decus.

DE ROMVLO ARCHINTO Epiſcopo.

ROMVLVS Antiſtes ſobolis lux clara uetuſtæ
Archintæ, vitam non moriturus agit;
Huius ineſt gremio terræ pars altera matris,
Pars melior ſummo cum genitore viget:
Huic famam tribuit uirtutis præmia mater,
Vitam dat ſuperum pro pietate pater.

De eodem.

HAVD facile inſontes animas abducere prædo
Ad manes potuit, tænariasq. domos,

Romulus antiStes dum dijs acceptus, & idem
Archintæ gentis gloria, pauit oues.
Ditis hic inferni sceleris monStrator, & aStus,
Ad superas sedes his patefecit iter.
Sublato paStore gregem poSt auferet hoStis;
Ni tegat hunc mitis prouida cura Dei.

Ad Grammaticos.

QVID doctas prodeSt uobis coluisse Camoenas
Grammatici, & latices ore bibisse sacros?
Quid tantum vigiles insudauiße politis
Artibus, & cultis inuigilasse libris?
Atque animos iuuenum dociles formasse receptis
Dictatis uatum, rhetoricisq. iuuat?
Primi sensiStis damnum miserabilis æui;
Primis eripiunt publica iußa lucrum.
Et dulces natos (miserùm) nuptasq. fideles
VeStras edictum uiuere, uosq. uetat.
Musa vale; triStes sæua quæ peSte magiStros
Sæuius occidis; peStis & ipsa grauis.

In obitu Octauij Archinti.

OCTAVI *præter summæ præconia laudis,*
Atque tui dotes Stemmatis, atque tuas,
Tam pius in miseros, inopesq. es notus; ut ipse
Desieris cuStos, & memor esse tui.
Vt tua ferret opem compressis carcere sæuo,
Authori nocuit dædala cura suo:

Nanque

Nanque epulis alitus lautis, auraq. salubri
Ausus es immundæ tecta subire domus;
Vt ferres gratasq. dapes, solamen & ægris;
Ac ne deficeret spiritus hosce leuis.
Insuetus tetros hinc traxit nasus odores;
Qui tibi luctificæ causa fuere necis.
Mors tua uita fuit morituris; morte sed ista
Perpetuò felix vita reperta tibi est.

In obitu Scipionis Simonetæ Senatoris.

HINC distas procul hesperio Simoneta sepulcro
Clausus, ad insubres haud rediturus agros.
Flebilis heu natis, fratriq., tuisq. propinquis,
Et celebri patriæ, patricijsq. uiris.
Mens præsaga mali renuit tua munus, obire
Quod præstans animi quisque Senator auet:
Non quòd despiceret titulos, & regia dona;
Sed quoniam ægra tuæ præscia mortis erat.
Maluit hæc absens tamen inseruire Philippo,
Quàm præsens custos corporis esse tui;
Præcipuè quòd onusta breui se vidit ituram
Ad superas, requies est vbi certa, domos.

In Obitu Gotardi Reijnæ Senatoris.

NIL insyncerum recipit purissimus æther;
Nil vbi materiæ dicitur esse loci.
Cùm fueris Gotarde tua syncerus in vrbe,
Dignus es, vt puro purus in orbe mices.

In

In aduersarium.

CVR *insensa mihi lectorum docta corona*
Est, modò carminibus concelebrata meis?
Rodere cur gaudet morsu, quem nouit amicum?
Cur laudatorem terret acerba minis?
Haud puto nobilium præcordia tincta veneno
Esse, quibus virus cura fugare nigrum est.
Unius erugo sociorum concitat iras
In me; fulmineo quem Deus igne petat.
Immò sicut auet citius me perdere tristem,
Sic precor infelix viuat ut ille diu.

AD IO. BAPTISTAM
Carcanum medicum.

QVIS *studet insidijs veterem, quæ gratia tecum*
Est mihi, vel fictis dissoluisse notis?
Non me (versutus quod somniat ille) magistro
Vsus es; ast alios mystica sensa doces.
Sed certare tibi quia marte recusat aperto,
Arte ciet tecum tetra duella mihi.
Carcane dum maculat mendis te, laudibus effert:
Soluere dum quærit pectora nostra, ligat.

AD CAESAREM MILLEFANTUM.

CARMINA, *quæ cecini, suades mihi Cæsar ut edam;*
Hæc ratus esse nefas occuluisse mihi.
Authori latura decus vulgata, nec ulla
(Vt renuat Lachesis) deperitura die.

O' veluti grato bonus es modulamine vates,
Vates sis monitis, augurioq. bonus.
Hæc seu veridico, seu falso præcinis ore,
Astipulor cupidè nutibus ipse tuis.

D. Simpliciano.

NObiliore tuæ tumulabimus oßa cohortis,
Relliquiasq. tuas Simpliciane loco
Non sine solenni pompa; quo ductus honore
Nos præsta indemnes, innocuosq. pater;
Hancq. tibi dictam notis cum ciuibus vrbem
Vt seruet, rogita supplice voce Deum.

D. Simpliciano, & Victorino rhetori.

AD frugem euasit rhetorq., catusq. senator
Plurimus admonitu Simpliciane tuo.

Diuis Simpliciano, & Augustino.

MEnsq. Augustini diuinæ nescia legis,
Hanc edocta probè te monitore sapit.

Diuo Geruntio.

CElsæ Turingis, Erulisq. nocentibus vrbi,
Eripuit diuina malis hanc cura Gerunti.

Diuo Benigno.

DIruta Turingis, Erulisq. sacraria, & ædes
Dias restituit virtus inuicta Benigni.

Diuis Ambrosio, Sisinio, Martyrio,
& Alexandro.

QVos docuit treis Ambrosius sacra mystica diuos,
A manibus cæsos vidit Agauma feris.

Diuis

Diuis Sisinio, Martyrio, & Alexandro.

HI *Mediolanum propè captum uiribus, hosti*
Induperatori surripuere duces.

Diuis Sisinio, Martyrio, & Alexandro.

V*Rbs ope diuorum victrix, quo gloria parta*
Est, festum hunc statuit ciuibus esse diem.

R*Elligio prohibet (tanto se robore fulsit)*
Ne tenuis fiant membra caduca cinis.

N*On Arabum merces, nec ebur, quod ditior Indus*
Mittit, emunt, sed cana fides cœlestia dona.

A*Eternæ tibi mentis opes, non copia rerum,*
Aeternum poßunt conciliare Deum.

I*Rritus est hominum labor omnis, & irrita cura;*
Excipio sanctum, quod meditantur, opus.

I*Mpuris fugiant manibus temerare profani,*
Quæ sacra præstitibus fas tetigisse pijs.

I*Ntegros ideo capit urna cadaueris artus,*
Quòd veges in puro spiritus axe nitet.

D. Petro.

Q*Visquis celsa sequi gaudet uexilla tonantis*
Petre, pugil fortis te duce bella gerat.

De Nerua Imperatore.

HAVD genuit natos, sed millia dictus habere
Natorum, populi dominator Nerua, parensq.

De M. Aurelio.

QVIS gemino scribet Marci præconia uersu,
Quæ sunt materies diuitis historiæ?

De Caio Caligula.

QVIS dicti ducis à caliga perstringere paucis
Labes sufficiat, quas numerare nequit?

De interitu M. Crassi.

ACRIOR effugio Parthus, te Crasse necato
Haud tutum esse uiris nimium sibi fidere monstrat.

Ad Augustum Cæsarem.

TERRARVM te rege poli rex editus; orbem
Rexti pace; fuit pacis & ille sator.

De M. Manlio Capitolino.

QVAM Capitolinus fortis seruauit, ab arce
Decidit, ingrata præcipitante manu.

Ad Paulum Aemilium.

ETsi Cannensi cecidisti clade, perenni
Cognita Paule tamen uirtus tua claret honore.

De exitio Pompeij magni.

POMPEIVM ex magno truncum scelerosus Achillas
Fecit, iniqua parit talia mostra pharos.

De interitu Cæsaris.

VItam progenies tibi martia Cæsar ademit;
Demeret ut tristi libera colla iugo.

De internecione M. T. Ciceronis.

QVod mundus stupuit, quod Iulius extulit hostis,
Proh dolor, est ausus cædere Lena caput.

In M. Antonium.

SVstulit Antoni coniux te casta maritum;
Sustulit & moechum te Cleopatra salax.

In Marium.

Minturnæ, rabies Syllæ, fuga, carcer, & ensis
Te cruciare satis non valuere Mari.

In Syllam.

LAtum Sylla nefas fuerat tibi sumere clauum,
Quem licuit tandem deposuisse reo.

De Nerone.

ENecta pro matre neci demisit atrocem
Induperatorem romula iure manus.

In Coriolanum.

QVi tibi, quiq. tuis nullam finis esse quietem,
Semper apud manes irrequietus eris.

De Tarquinio superbo.

QVòd malè Tarquinius proprijs cum ciuibus egit,
Huic demptus Bruto uindice regis honos.

Ad Annibalem Carthaginensem.

SVnt extenta tibi patrij confinia regni;
Vt procul à patrijs finibus exul agas.

In Mithridatem Ponti regem.

QVæ sieris finem ut uitæ, tibi filius author;
Idem fraternæ cædis, genitricis & ultor.

In L. Catilinam.

TE, coniuratosq. uiros Catilina, tuasq.
Tulli consilium, linguaq. fregit opes.

In Sertorium.

SErtori quem Sylla ferox, quem martia Roma
Non domuit, lances inter percussus obisti.

In L. Cornelium Cinnam.

INfestum te Cinna tuis Ancone peremit
Percussum saxis, agminis ira tui.

In Pyrrhum Epirotarum regem.

ANcipiti te Pyrrhe sono cortina fefellit;
Sterneret ut victum tegula lapsa ducem.

De C. Fimbria.

POst cæsos hostes, post Ilion igne crematum,
Consciuit mortem Fimbria iure sibi.

Ad Alexandrum Macedonum regem.

TEgenitum Ioue mentito, magnumq. monarcham
Extinsit uirus, paruulaq. urna capit.

In Viriatum Lusitanum.

AFfecit poena furemq., ducemq. cohortis
Te merita, accepto quem perdidit ære satelles.

De Tiberio, & Caio Gracchis fratribus.

ASpera lex fratres occidit agraria Gracchos;
Tantum irritauit dites, iustumq. Senatum.

In P. Clodium.

OB Tulli exilium, constupratasq. sorores
Treis, bona te Clodi Dea sustulit ense Milonis.

De

De Claudio Nerone.

ASdrubale extincto Nero consul iniqua Neronis
Facta rependet, eo melior, quo nequior alter.

De Cloelia Virgine.

OBses cum flauum traiecit Cloelia Thybrim,
Præstitit inuictos laude virago mares.

Ad Lucretiam romanam.

OBlatum uitium pensasti funere, vita
Carior est uerè cara pudicitia.

De Porcia Bruti uxore.

INtrepidos uxor Brutos, & nata Catones
Vulnere, glutitisq. expressit Porcia prunis.

In Tulliam Seruij Tullij filiam.

TVllia regnandine tibi tam dira cupido
Venit, ut occisum confregeris axe parentem?

De Attilio Regulo.

QVid non terroris, quid non perpessus acerbi
Regulus est, ut respublica salua foret?

De Mutio Scæuola.

SCæuola Porsennæ uictor, non uictus adusta
Creditus est palma, palmam sic fortis adeptus.

Ad M. Curtium.

ACceptam patriæ cupidum te reddere uitam
Curti, cum uolucri terra uorauit equo.

In Hippiam.

TAntus te luxus, tantus furor Hippia carpsit;
Vt nullis unquam sis satiata uiris.

Ad M. Curium.

NOn tibi post nummos uirtus speciosior auro,
Dona recusasti qui preciosa, Curi.

Ad Fabium Maximum.

CVnctanti nisi palma Fabi tibi parta fuisset,
Hæc castris aberat non reditura Remi.

Ad Scipionem Africanum.

TE genito uictore ducum duce Roma superbit;
Linternum iactat tua Scipio clare sepulchra.

Ad M. Catonem Uticensem.

QVam durum ingenuis iuga ferre sit, indicat ausa
Te tua bis lacerum tollere dextra Cato.

Ad Lucium Quintum Cincinnatum.

CUm dictator aras, deceat quàm cultus agelli
Te dictatores iudice Quinte doces.

De Marcello.

HAnnibalem primus deuinci posse probauit
Marcellus, confecit atrox quem punicus astu.

De Xerse Persarum rege.

CVI vada bina rates geminarunt, milite raro
Deuicto Xersi dedit ansam Cypria mortis.

Ad Epaminondam Polymni filium.

GLoria Thebarum nituit tecum orta Polymni
Nate, eadem tecum contumulata iacet.

De Cyro Persarum rege.

PErsida qui rexit, gentesq. subegit Eoas,
Mortuus ore suum potauit in utre cruorem.

De Semiramide.

ORnaßet uaria Babylona Semiramis arte,
Immoderatus eam ni ſceleraſſet amor.

Ad Didonem.

VIxiſti coniux inceſta, pudicaq. Dido;
Hinc tibi dexter Hymen, atque ſiniſter erat.

Ad Sappho poëtriam.

FElix ò muſis dilecta poetria Sappho;
Ni perculſiſſet te tua cura Phaon.

De Alceſte Admeti coniuge.

MIra cano, coniux fato ne carus obiret,
Alceſte iuuenis creuit obire diem.

De Penthesilea Amazonum regina.

PEntheſilea ducum uictrix ab Achille perempta,
Viuens, ac moriens rettulit una marem.

De Helena Menelai uxore.

PVlchra iuuant; damnoſa fuit ſed forma Lacænæ,
Pernicies Danaum, perniciesq. Phrygum.

De Penelope Vliſſis coniuge.

TYndaridis facie, & Cleopatræ diuite cultu
Purius enituit Penelopea fides.

In Commodum.

PArca uelut nullis parcit, ſic Commode nulla
Adiutas inopes commoditate uiros.

Ad Aelium Traianum.

CAndorem Traiane tuum dum quiſque latinus
Principibus cunctis expetit eſſe, probat.

De Virgilio Marone.

PAstores, & agros, equitesq. canora Maronis
Quæ sonuit, Phoebi iam lyra uatis erat.

De Horatio Flacco.

PIndaricos italo qui lusit Horatius, idem
Luserat argolico Pindarus ore modos.

De Ouidio Nasone.

NON minus insignis Sulmo Nasone poeta,
Quàm Flacco tellus est Venusina suo.

De Valerio Catullo.

NOn ita sunt linguæ melli prædulcia mella,
Auribus ut doctis sunt mellea scripta Catulli.

Ad Albium Tibullum.

PErpetuæ quæ causa fuit tibi Delia lucis,
Perpetuò claret luce Tibulle tua.

Ad Propertium Aurelium.

FErt obitus alijs festinos flere Properti;
Sed longinqua dedit uiuere secla tibi.

De T. Lucretio Caro.

ROmani referunt Epicurum sensa Lucreti,
Cuius Virgilium sermo, stylusq. sonat.

Ad Cornelium Gallum.

FLebilis, & suauis tua Galle elegeia mentes
Cum dulci mista pascit amaritie.

Ad M. Actium Plautum.

SAepæ fugas salibus (tantum dulcedinis illis
Est) animo curas callide Plaute tuis.

De

De Terentio Africano.

ROmanos docuit romana Terentius Afer
Verba, quibus Cicero linguæ pater, utitur aptè.

Ad Iulianum Goselinum.

AEternum Goseline tuæ dat Musa poesi
Viuere; quæ nullis non placitura placet.

Ad Claram Goselinam.

ESt clarus claræ tibi Clara poetria vates
Coniux, sic triplici lumine clara nites.

Ad Ioannem Tonsum I. C.

VIrtutem superasse tuam fors credita Tonse,
Virtuti cedit denique victa tuæ.

Ad Pompeium Biragum.

BIragis addunt Pompei tua lumina lucem;
Biragos ornet quò decus omne duces.

Ad Alfonsum Somaliam C.

PRæcipuæ dotes Alfonse patrisq., tuæq.
Non dubiè signant nobile stemma tuum.

Ad Georgium Triuultium Iurisconsultum, & Senatorem.

PRimus nobilitas est uultus docte Triuulti,
Notum ius alter, tertius ordo tibi.

Ad Gabrielem Tonsum I. C.

NE fausto quicquam desit tibi Tonse, probata
Est tecum coniux auspice iuncta Deo.

Ad Paulum Camillum Marianum C.

HAeres emeritiq., probiq. Camille parentis,
Quæ deceant homines, illius instar habes.



Ad Io. Marcum Fannianum.

INteger, & locuples, & vates nobilis idem,
Ecquis te præter sedule Marce uiget?

De Baptista Vicecomite Hærede nuncupato.

QVem rex hospitijs inopum præfecit, hic angui
Quamuis mistus eat, quis neget esse pium?

Ad Ioannem Marianum C.

ACceptum vulnus, legatio, regis & aura
Pectore quàm ualido sis Mariane docent.

Ad Rinaldum Abduensem.

NOn tibi sortitò sors Abdua præbuit amplas,
Sed tribuit meritò Iuppiter auctor opes.

Ad Io. Baptistam Borromeum C.

SI quicquam beat hic hominem, sortitus id esses;
Si non moereres casu perculsus iniquo.

Ad Antonium Mariam Carabellum.

ANdina dare digna tuba tibi carmina curæ,
Et lites adimunt, uena sit, arsq. licet.

Ad Octauianum Piccium I. C.

COnsultis Dea Pallas adest, sed Apollo poëtis,
Quo Picci summè fautor uterque tui est.

Ad Io. Antonium Zauatarium I. C.

SI Deus est, quoniam mortales iuuit, Apollo,
Antoni diuus tu ratione pari es.

Ad Aloysium Terzagum I. C.

RHetoricæ, iurisq. sciens Terzage libenter
Accepit, reducemq. cupit te Roma, probatq.

De



De Fabricio Candiano.

FAbricio doctrina nihil, nil copia rerum
Prodest, sollicitant quem fora, lisq. frequens.

Ad Iulium Cæsarem Carcanum I.C.

CArcane iuncta tibi scito cum iure poësis,
Vt Phoebe fratris luce corusca micat.

Ad Io. Baptistam Fopium.

VT lustres animo cœlestia numina, doctam
A medica mentem retrahis arte Fopi.

Ad Alexandrum Simonetam.

INsubrum sanguis, Romæ nutritus, & artes
Doctus Alexander, nihil es non laudis adeptus.

Ad Gherardum Borgonium.

INgenio facili facilis, felixq. Thalia
Est, faciliq. fauet culte Gherarde tibi.

Ad Brunoram Petreum C.

NObilitas, titulusq. tibi, virtute minores
Sunt, licet hos iactes docte Brunora gradus.

Ad Hieronymum Brugoram equitem.

TE iuuenem monstrat iuuenum flos Brugora vultus,
Sed virtus animi, sensaq. docta senem.

De Hieronymo Casone philosopho.

SIquis Aristotelis sensus, præceptaq. uatum
Scire cupit, facilè hæc discet Casone magistro.

Ad Cynthium Io. Baptistam Ghyrardum,

SVnt alijs aliæ res cordi; grata Lucreti
Quantum non ullis lingua, stylusq. tibi est.

De Archintis fratribus.

QVæ preſsè ligat Archintos pia copula fratres,
Nobilitas, virtus, integritas, & honor?

Ad Dominicum Claritum.

QVòd clares candore animi, numerisq. lepore
Tuſco conditis, Claritus ritè luocaris.

Ad Melchiorem Aciatum.

SI ſtudijs operam perges nauare, duobus
Accedes ſplendor tertius Alciatis.

Ad Proſperum Vicecomitem.

INcolumis, prudenſq. licet ſis nomine Proſper,
Et locuples, angit te tua cura tamen.

Ad Syluium Spannochium I. C.

NOn ego carminibus binis te dicere Sylui
Sufficio, proprium quem ſatis ornat opus.

De Hieronymo Pico Mirandulano C.

INdigetis Pici ſequitur veſtigia Picus,
Aemulus eſt Pici ſed Picus vterque latini.

De Andrea Camutio Medico.

MEmbra ſeneſcentis Camuti roborat ætas;
Ex medica fructus hos capit arte ſenex.

Ad Io. Antonium Maggium.

SI meritis foret æqua tuis fortuna, quis eſset
In noſtra Maggi te fortunatior urbe?

Ad Proſperum Panſanum.

LAetitiam Panſane tibi mens conſcia recti
Fert hilarata ſonis, Pieridumq. choro.

Ad Aldum Manutium iuniorem.

PAulo nate, nepos Aldi, cum rebus utrunque
Præstes, cur solum nomine reddis auum?

Ad Vincentium Narbonam.

COncilias Martem Musis Narbona canendo
Dulces, dum tractas arma cruenta, modos.

Ad Iulium Bartum Sacerdotem.

BArte sacer quoties quid honestum, quidq. decorum
Sit memoras, animam tibi remur inesse Platonis.

Ad Iacobum Antonium Phrygium physiologum.

DAedala Binaschi fecit te cura poetam,
Nimirum si blandè Phrygi das nobile carmen.

Ad Petrum Antonium Chiochium I.C.

QVàm uigeas animo iurisconsulte Chiochi,
In sene facundo vigor arguit iste uirilis.

Ad Bernardinum Baldum.

QVis tua mille queat præconia dicere paucis
Balde, sit is Pæan, Mercuriusue licet?

Ad Torquatum Tassum.

TE præter qui Tasse studet te pingere, laudes,
Te dum commendat, deterit ille tuas.

De Leone Aretino Eq.

QVicquid Praxiteles, Mys, Zeusis, Mentor, Apelles,
Atque Myron finxit, fingit & arte Leo.

Ad Augustum Decium.

VIuit ut extento Raphaël, Bonarotus & æuo,
Sic longum viues ingeniose Deci.

Ad Carolum à Basilica Petri Sacerdotem.

RElligio causis prælata forensibus, atque
Diuitijs, non obstipum te denotat esse.

Ad Ioannem Spinosam.

IN scriptis Spinosa tuis nil esse videmus
Spinosi, tanquam leueris illa cedro.

Ad Franciscum Linum.

FArnesi lux clara tuam, tuaq. illius ornat
Lucem, ceu puro Line claret sidere sidus.

De Philippo Rinoldio I. C.

PRo meritis Tyrio Rinoldius iret amictu
Cinctus, si sineret connubiale iugum.

Ad Marcum Antonium Messaliam C.

LVx Academiæ viuit te sospite Marce;
Sic tecum det ei viuere secla pater.

Ad Alexandrum Panigarolam Senatorem.

QVi patris effulges, & fratris honore Senator,
Laudibus es multo clarior ipse tuis.

Ad Dominionem Caciam.

PRæsidis illustrat generum te culta mathesis,
Haud secus, ac generis nobilitas, & opes.

Ad Franciscum Vialardum.

DIgnus vt allobrogum princeps Vialarde ministro
Te, domino pariter dignus es ipse tuo.

Ad Benedictum Guidum.

CArminibus natura, sacris te Guide voluntas
Destinat, ingenio est sic tibi velle prius.

Ad

Ad Ioannem Arcimboldium.

FOrtunisne, bonisne animi sis ditior, hæret
Quilibet; es certè diues vtrisque simul.

Ad Franciscum Tabernam medicum.

HEben forma tibi iuuenilis adesse, Mineruæ
Te Francisce placere probat uigor iste virilis.

Ad Io. Franciscum Imperatorium sororis filium, medicum.

QVòd maculis caret, est cordi mihi quisque propinquus;
Sed magè sum cupidus, quòd sapis ipse, tui.

Ad Alexandrum Rubeum Sacerdotem.

QVòd pia pontificum calles decreta, sacerdos
Non ferris; sed eo, quòd pia sacra facis.

Ad Io. Antonium Applanum I.C.

PVpillis consultus opem fers; legibus uti
Hoc est; hoc homines, coelicolæq. probant.

Ad Iosephum Melsium medicum.

MAgni te pendit princeps Aragonius, index
Promeriti Ioseph, arbiter atque tui.

Ad Fabium Sermundum.

INgenium ueges, & discendi summa cupido
Care Fabi cumulata ferent tibi dona Mineruæ.

Ad Carolum Sigonium.

QVis memores fastos, atque abdita scribet adempto
Te, cui priscorum ritus patuere Sigoni.

Ad Eustachium Amatum.

CVm proprios tibi Suada, suos Charis afflet honores
Eustachi, meritò nomen Amatus habes.

Ad Vespasianum Marinum.

MEns uiget in magno tibi corpore, quo propè uires
Fers utraque tui parte Marine pares.

Ad Io. Franciscum Spinolam.

FActus es historijs, usuq. seuerior, idem
Spinola nunc salsis gratus (ut ante) iocis.

Ad Equitem Cignarcam.

CVI quæcunque decent equitem, sunt parta probato
Vt Cignarca tibi, iure uocetur eques.

Ad Paulum Cigalinum Medicum.

PHoebo te genitum discens Academia sentit,
Aegri te credunt Pæone Paule satum.

Ad Flamminium PapaZonem philosophum.

FElsina te natum docuit quod grata iuuentus
Discit Ticini te profitente, sophos.

Ad Io. Petrum Imbertum medicum.

ARs ope cum medica te iuncta decenter adornat,
Vtra prior dubium est, vtraque summa tamen.

Ad Io. Baptistam Restium.

MVnus uti præstas animi prudentis, & æqui,
Idq. sapis Resti, sic magè sospes agas.

Ad Io. Paulum Sansonem Diui Francisci imitatorem.

MOle Philistæus Sanson, & corpore firmo;
Tu uerò mentis robore Paule viges.

Ad Federicum Borromæum C.

NON dubiè diues superis operare; quòd ingens
Te Federice tenet relligionis amor.

Ad

Ad Mozionios fratres.

SOrs vestras cumulauit opes cùm sana; nec vnquam
Aequa magis fratres, nec minus orba fuit.

Ad Seuerinum Theologum Diui Augustini sectatorem.

PVlchra Seuerini sequeris vestigia, iure
Vt te quisque putet nomen habere viri.

Ad Oldradum Lampugnanum.

ANtiquæ generosa domus insignibus addit
Mens tua, si quid eis deerat honoris adhuc.

De Laurentio Tuscano.

INsubrum soboles loquitur Tuscanus hetruscè;
Nec Tusci melico gratius ore sonant.

Ad Io. Antonium Figinum.

COrporeæ vires, animosum pectus, & artes
Te Figine tuæ magnis heroibus æquant.

Ad Petrum Martyrem Ponzonem Insubrum prouisorem.

POnzon vtilium prouisor, adibis Iberos;
Dignus enim magnis præstò qui regibus adsis.

Ad Hieronymum Burgundium.

INgenuos mores, & rerum perspicis vsus;
Ac si Socraticus sis, Ithaciq. comes.

Ad Octauianum Cataneum, Caritium.

QVamuis sæpe premant te dura negotia, vatum
Haud tamen absistis te sociare choro.

Ad Alfonsum Cataneum equitem.

VItricus est vates, genitrix tibi Musa; quid obstat,
Quin tua det blandum tibia carmen eques?

Ad Tarquiniam Molsam.

QVòd mulces hominesq. feros, & agrestia corda
Carminibus, digna es nomine Molsa tuo.

Ad Franciscum Tonsum equitem.

NOn pauci ferro vitium tutantur; at ipse
Protegis audaci dogmata, iusq. manu.

Ad Iulium Cæsarem Albicantem.

QValis flos inter flores hyacinthinus, inter
Iuli primores classis es ipse tuæ.

De Mandellis fratribus.

MAndelli magè sunt studijs, & amore iugati,
Quàm sobolis nexu, qui ligat arctus eos.

Ad Henricum Farnesium Eburonem.

NOn Batauis, latijs Henrice sed ortus in oris
Appares; tantum mellis in ore tuo est.

FINIS.

Bernardinus Baldinus Lectoribus. S. D.



ONNVLLI insidiatores versutiloqui, & maleuoli iampridē vberiorem epistolam, superioribus verò diebus libellum sycophantiis, & loquacitate plenum, quorum operum me authorem esse titulus falsò indicat, euulgare liberius ausi sunt. qui quicquid scurrile,& mimicum, atq. a senioris grauitate alienum ipsis in mentem venit, mihi nulla habita honoris mei ratione licenter ascribere non dubitant; nihilq. pensi habent, dum aliquam mihi inurant maculam. Quippe qui dum me afficere molestia omni studio conantur, vobis seduli, & veritatis studiosi lectores dare verba sine dubio student. Ea re vos horum hominum fallaciæ admonendos esse duxi. Vobis igitur vt sic persuadeatis velim, nullum opus a me antehac editum esse in lucem, quod typis excussum non fuerit; neq. posthac editum iri, quod seni Christiano, & professori liberalium artium meo iudicio dissentaneum sit, & indecorum. Valete.

Errata.

PAg. 7. *Marmoris & tecti, tecti loco lecti scriptum est.* Pag. 11. *Machaonia spectabilis ante, pro arte.* Pag. 20. *probitas quibus afficit, pro officit.* Pag. 24. *quis nescit in atto? pro in alto? eadem* Pag. *Christi quàm caput in latus acclinatis, lege Christi quàm prauum caput in latus acclinatis.* Pag. 33. *turpat qui sanguine victum, pro rictum.* Pag. 34. *Philiodonum Iuriconsultum, pro Iurisconsultum.* Pag. 52. *dissona proptum, pro promptum.* Pag. 73. *Ecoritur feritate tua, pro exoritur.* Pag. 79. *Dignor hic etenim. Dignor pro Dignior.* Pag. 108. *Claritus ritè luocaris, idest vocaris.* Pag. 112. *vnus vti præstas, pro præstans.*

